

THE J. PAUL GETTY MUSEUM LIBRARY

MONVMENTA PELOPONNESIA

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Research Library, The Getty Research Institute

http://www.archive.org/details/monumentapelopon02paci



Alt. Palm. Rom. 7. 3. P. M.

MONVMENTA
PELOPONNESIA

COMMENTARIIS EXPLICATA

A

PAVLLO M. PACIAVDIO C. R.
SAC. EQ. ORD. HIEROSOLYM. HISTORICO
REGIAEQ. PARISIEN. ACADEMIAE INSCRIPT.
ET HVMAN. LITTERAR. SODALI.

VOLVMEN SECVNDVM.



ROMAE CIↃIↃCCLXI.

EX TYPOGRAPHIA PALLADIS
SVMTIBVS NICOLAI ET MARCI PALEARINI
PRAESIDVM PERMISSV.

65.10 vol II. March, '65 purchased from F.A. Bernet. Check #4252
THE J. PAUL GETTY MUSEUM LIBRARY

COMMENTARIORVM
ΣΥΝΟΨΙΣ.

PARS TERTIA.

Psephismata Epidavriorvm, et Gytheatarvm.

Epidavri Psephismata dvo.

ΕΙΣΟΔΟΣ.

Epidaurus antiquitate, nobilitateque inſignis, rebuſque omnibus affluens. Publicis aedificiis, & Deorum aedibus commendata, ſed maxime Aeſculapii religione, quae a STRABONE, *PAVSANIA, ARISTIDE celebratur.* **ΑΓΩΝΕΣ ΜΕΓΑΛΟΙ ΑΣΚΛΗΠΙΟΙ.** *Scriptores, qui de Deo Epidaurio egerunt. Gemmae, quibus prima Commentariorum pagella ornatur.* **ΑΝΘΟΣ ΦΥΣΕΩΣ** *formula erotica achati inſculpta. Senatus Epidauri perpetuos honores ſuis Civibus decrevit. Cippus* δίγραφος *exhibetur. Primum illi inſcriptum Pſephiſma in honorem* BASSI *Alcidis Fil. tetraſticho comprehenſum emendatur, & in verſus diſtributum proponitur.*

ſ. I.

Illuſtrium virorum elogia cur carminibus tradita. Oratio rhythmis adſtricta Deorum laudibus, magniſque argumentis pangendis quare aptior. Baſſi encomium hexametris concluſum. **Ἐπιτάφια** *paucis verſibus plerumque conſtabant. VCSSII opinio de hac brevitate exploditur. Cur inſcriptiones ſtatuis ſuppoſitae in pauca carmina contraherentur. Nobilitas domeſtica,* ARISTOTELE *auctore, magni ſemper habita. Ejus mentio in antiquis marmoribus. Nobiles quinam* PHILONI *dicerentur.*

rentur. Scriptores de nobilitate ad vetera monumenta explicanda parum luminis afferre. Nobilitas in varia genera ab ARISTOTELE diſtincta, cum quo PLATO conſentit. Nobilitatem ex victoria Athletica agnovit Q. SMYRNAEVS. Differentia inter εὐγενέα, ἔνδοξον, *&* λαμπρότατον. *Baſſo quaenam attribuenda. De Epidauriae Reipub. ratione nonnulla delibantur. Theſeus* Ἐυπατρίδας *a plebe ſejunxit, eiſque ad Magiſtratus capeſſendos poteſtatem fecit. Solon eam legem confirmavit. Athenis munera difficiliora* Συμμορίαις *demandata. Plebs illic a petendis honoribus prohibita, ſed poſt victoriam Plataeenſem iterum admiſſa. Liberae Civitates optimatibus primas tribuerunt. Ex his Ephori, Suffetes, Boeotarchi, Coſmi plerumque electi. Licet Argivorum Reſpub. popularis eſſet, Epidaurios honoris ſignificationes nobilibus exhibuiſſe, patet ex Baſſi titulo. In vrimo Pſephiſmatis verſu num* Ἀλκίδȣ, *an potius* Ἀλκειίδȣ *legendum ſit. Et an Baſſus de Alcidis, & Heraclidarum ſtirpe putandus ſit. Eam originem Epidaurios plurimum affectaſſe. Epidaurii ex Divorum ſanguine originem accerſebant. Titus Statilius, cujus meminit alterum Pſephiſma, ex Caſtore, & Polluce oriundus.*

ſ. II.

Graecae Civitates qua ratione Sacrae *dicerentur. Zelia ab HOMERO, Delus a DICAEARCHO, ARISTOHPANE, & CALLIMACHO, Memphis ab AESCHYLO hoc titulo donantur. Idem nomen ſibi vindicaſſe complures Syriae, Phoeniciaeque urbes, illarum nummi manifeſtant. Claudius Imp. in ſacrarum urbium cenſum Coum retulit. Evidaurus a PLVTARCHO* ἱερὰ, *in noſtro autem marmore* ζαθέη *nuncupata. Denominationis convenientia. Senatus, Populuſque Epidauri statua Baſſum honorandum decrevit. Pſephiſmata* τῆς Βȣλῆς, *&* κατὰ Βȣλὴν *quid diſcrepent. Lapis Nicopolitanus in honorem Claudiae Glycerae male ſollicitatus qui reddi debeat. Poſitus* ἀρετῆς χάριν. *An ſepulcralibus titulis accenſendus. Athenienſes in Ceramico, Magnetes, Corinthii,* *Antio-*

Antiochenſes in foro ſepeliebant . Locus ſepulturae Eucratidae Rhodio a Brunduſinis datus . Sepulcra perraro a Senatu decreta . Inſcriptionem Nicopolitanam τιμητικὴν *eſſe concluditur . De nova ſigmatis forma , quae inibi offenditur . Signum marmoreum Nicopoli advectum num Claudiam referat . De pyxide , quam geſtat ; an ſit ſpeculum thecae incluſum . Pſephiſmata* τοῦ Δήμου . *Quid eſſet Senatus* προβούλευμα *ex* DEMOSTHENE , *&* LIBANIO *diſcitur . Graecae inſcriptiones a* POCOKIO *collectae quot mendis ſcateant .* Γερουσία *qui Magiſtratus eſſet ,* AESCHINES *docet . Quid nomine Pſephiſmatis* ἡ πόλεως *intelligi fas ſit .*

§. III.

Ἐυεργεσίας *quanta vis . Soſthenes ob beneficia licet ignobilis in Macedonum Regem delectus .* Ἐυεργετῶν *nomina publicis tabulis Lampſaci , Sardis , Mylaſae , Spartae , Thebis , Megarae , Ancyrae , Smyrnae , Thyatirae conſignata . Deorum tutelae , ac patrocinio a Civitatibus commendati . Epidaurii inſigne monumentum Baſſo ob beneficia , quae Civitati exhibuerat , poſuere .*

§. IV.

Quo tempore Graecia coeperit ſtatuis abundare . Differentiae inter εἴδωλα , ξόανα , εἴκηλα , ἀνδρίαντας *&c. futiles , ac commentitiae . Statuae juſſu publico poſitae honor praeſtantiſſimus* CICERONI , *&* DIONI CHRYS. *dicitur . Quae cauſſae ſtatuarum numerum penes Graecos tantopere auxerint . Hadrianus multis etiam vivis ſtatuas in foro dedicavit . De ſigno , quod ſibi a Magiſtratu Hypateno decretum perhibet* APVLEIVS . *Baſſo veroſimiliter adhuc viventi ſtatua Epidauri poſita .* Ἐικὼν *quo ſenſu accipi debeat . Senatus Areopagiticus Diogenetum , & Pergamenſis Heraclamonem* picta imagine *honorat .* AGATHIAE *carmina de poſteriori tabula .* Ἐικὼν *Baſſo dicata* ἄγαλμα *fuit . De quatuor*

ſtatuarum generibus diſſeritur. Antiquiſſimas opere plaſtico, & ὀστρακίνας fuiſſe AELIANI, PAVSANIAE, DIODORI, ARTEMIDORI, EVSTATHII *fide, auctoritateque ſtatuitur. Citius in* Graecia, *quam in* Latio *ſtatuas argillaceas obſoleviſſe. Icunculae* πλίνθιναι *pro donariis, ſed maxime in* Feſto Sigillariorum, *cujus meminit* MACROBIVS, *obtinuerunt. Locus* DICAEARCHI *depravatiſſimus, ac prope deſperatus tentatur, emaculaturque. Sigilla ejuſmodi minio illinire Etruſci docuere.* SALMASIVS, & BAVDELOTIVS *perperam a* TRILLERO *reprehenſi. In* TREBELLIO POLLIONE *ſtatuam* argolitham, *non* argillaceam *legendum eſſe evincitur. De ſtatuaria* τομικῇ *carptim agitur, ligneaque ſigna vetuſtiſſima a* XENOPHONTE, & PAVSANIA *memorata recenſentur. De* χαλκουργικῇ, & κολαπτικῇ. *Illam multo antiquiorem fuiſſe, ſimulacraque ex aere fuſo, vel malleo ducta artem ſecandorum lapidum praeceſſiſſe ſuadetur. Statuae* ἐπίχρυσοι, *auroque illuſtres. Statuae ex commixtis metallis a Bryaxe conflatae meminit* ATHENODORVS. *Statuae* ἀργύρεαι, & χρύσεαι *apud* HOMERVM, LVCIANVM, DIODORVM, IVSTINVM, AEMILIVM PROBVM. *Hic luxus aliquando compreſſus, ac caſtigatus. Aliae ex aere inſertis ex auro, & argento membris. Protome id genus Muſei* NANII *publicatur. Aereas quondam permultis a Magiſtratibus conceſſas, ex* DEMOSTHENIS, VLPIANI, & ARTEMIDORI *doctrina deducitur. Baſſo aenea potius, quam marmorea ab Epidauriis poſita fuiſſe videtur. Priſca Graecarum,* Italicarumque *ſtatuarum forma aſpera, rudis, incompta, qualis ab Aegyptiis mutuata. Duo priſcae formae ſigilla, quorum alterum Artificis nomine inſigne eſt, ex* NANIORVM *Gaza in lucem educuntur. Varia, qua statuae ſtylobatis aptabantur, ratio ex* PLVTARCHO, & CICERONE *deprehenditur. Quis ſtatuas primus expolire coeperit a* THEMISTIO, PALAEPHATO, CALLISTRATO *proditum eſt. Emblemata, certaque ſymbola his addita. Pindari ſtatua ab* AESCHINE *laudata. Statuae* ἰσομέτρητοι. *Athenienſes imagines* Hermeas

meas excogitarunt. Hujus moris luculentiſſimum apud AESCHINEM exemplum. In gratiam Regum adinventas fuiſſe credidit HESYCHIVS. Προτομὴ μαρμαρίνη, qua Ordo Paeaniſtarum honeſtandum cenſuit Emben vaticinatorem. Nomina ſaepenumero Hermis ſubſcripta. De cippo Leucade advecto, cui Alcyonis Medici protome impoſita fuit, diſputatur. Baſſi statua non hermea, ſed iconica. Abſurdiſſimus mos, quem Rhodiis exprobrabat DIO CHRYS. Statua uni eidemque viro iterato decreta. Statuas loco illuſtri, & frequenti ad Reipub. ſplendorem poni conſentit PAVLLVS Ictus. Non tamen Senatus injuſſu fieri permiſſum. Claudii Imp. edictum a DIONE relatum. Graeci id ſtudioſe affectarunt. Apollodori Haleſini, & Heraclii Syracuſani exempla. Sepulcrum locus conſpicuus ſignis rite conlocandis. Statuas in Scipionum monumento poſitas enumerat LIVIVS. Quinti Albidii Hipparchi, & Albidiae Euphroſynae Q. Albii F. ſigna Marmorea Nicopoli in familiari ſepulcro dedicata eduntur. Inſcriptiones ſignorum plinthis inſculptae dilucidantur. Ἡρῷον, Ἡρώϊον, Ἡρώειον THVCYDIDI, PLVTARCHO, IAMBLICHO monumentum ſignificat Heroi conveniens; ſed ea vox ſubinde latius patuit, & pro quovis ſepulcro uſurpata fuit. Nihil in hiſce inſcriptionibus aliena manu, aut ſerius ingeſtum. Statuae loco publico poſitae inviolandae, ac reverendae. SATVRNINI, & MODESTINI reſponſa. Everſae ignominiae cauſſa. Baſſi ſignum nonniſi temporum longinquitate direptum, ac conciſum.

§. V.

Βουλαίου munus, quo in inſcriptione Baſſus perfunctus dicitur, quid fuerit. Conſiliarii comites, adſeſſoreſque dati his, qui Magiſtratus Provinciales adibant. Quae eſſent illorum partes PAVLLVS Ictus recenſet. In Graecarum urbium decretis ad illorum munimen, ac firmamentum Conſiliarii conſenſus expreſſus. Conſiliarios ſibi adſcivere Romani Imperatores. Baſſus Trajani, Hadrianive a conſiliis fuiſſe videtur. Impera-

peratores ἄνακτες *dicti: iidemque* Θεοὶ *in innumeris pene marmoribus. Eadem appellatio Syriae, & Aegypti Regibus affatim tributa. Item* Θειότατοι *nuncupati. Differentia inter* Θεὸν, *&* Θεῖον. *Peſcennii Nigri edictum expenditur. Ipſi Impp. Conſiliarii munus geſſerunt. ABEATARVM Pſephiſmatis exemplar fidiſſimum ex autographo Muſei NANII profertur. Quam mendoſe olim a MONTFAVCONIO editum. Ejuſmodi monumentum nullo modo* Abis *Phocienſium adſcribi poſſe, ſed* Abeae *Meſſeniorum tribuendum eſſe demonſtratur. Hadrianum multis beneficiis Graecas urbes cumulaſſe. Aequiſſimum Imp. apud Abeatas conſiliarium egiſſe evincitur. Abeatae statuam Hadriano dedicaſſe dicuntur* κατὰ τὸ τῶν Ἀχαίων δόγμα: *ſed non inde ſequitur, Abeam in Achaja fuiſſe. Achaja duplex* κυρία, *&* ἀκυρία. *Abeates tamen in* Corpore Achaico *contenti.* Σύστημα τῶν Ἀχαίων *ex diſſitis admodum, ſed contributis urbibus conſtaſſe oſtenditur.* Κοινοβουλίαν *Achaeorum jure probaſſe Abeatarum decretum. Relatum illud fuit in tabulas a Damone* Γραμματεῖ τῷ κοινῷ *totius Corporis Achaici. Locus POLYBII de Scriba Concilii. Cur hoc Abeatarum monumentum Corcyrae poſitum fuerit, inveſtigatur, cauſſaque ſatis probabilis affertur. Societas inter Corcyraeos, & Achaeos inita. Etſi Conſulatus nota huic marmori conſignata, ambiguum tamen in quem Hadriani annum statuae dedicatio queat revocari. ANDREAE MARMORA ſententiam nihil noſtrae interpretationi incommodare. Multa poſt conſcriptam ab illo hiſtoriam monumenta Corcyrae detecta. Vetuſtiſſimus lapis Theomedis Ariſtolaidae fil. & Ariſtomenis Fratris Corcyreorum Prytanis nomine diſtinctus, obiter illuſtratur.*

§. VI.

Pſephiſma alterum in Cippi latere inſculptum declaratur. Quare Tiberius Claudius Senocles encomium Titi Statilii Timocratis inſcribi curaverit eidem ſtylobatae, cui Baſſi laudes inſculptae. Inſcriptio alicubi eroſa ſuppletur, ipſiuſque lectio probatur. An Lampriae filius, cui ab Epidauriis titulus poſitus,

tus, is ſit, quem ſimili honore affecit πόλις τῶν Ἀργείων. *T. Statilius magnis Aeſculapii certaminibus Epidauri edendis vacavit. De formula* ἀρετῆς ἕνεκεν, *qua Pſephiſma concluditur, animadverſiones.*

PSEPHISMATA GYTHEATARVM
AERAM CHRISTIANAM ANTECEDENTIA.

PSEPHISMA PRIMVM.

ſ. I.

Marmoris accuratiſſimum apographum praeponitur. Inter praeſtantiſſimos viros, qui libera adhuc Repub. Romani nominis majeſtatem auxerunt, fuit TITVS QVINCTIVS FLAMININVS, cognomento Macedonicus, *cui ſtatua cum inſcriptione a Gytheatis dedicata. T. Quinctii Flaminini praeclara origo, Magiſtratus, quos geſſit, ſtrenuaque facta adverſus Philippum ad clauſtra Epiri, & ad Cynoſcephalas, adverſus praedones Aetolos, atque Nabin pro Gythii libertate vindicanda, ex LIVIO, PLVTARCHO, POLYBIO, IVSTINO ſummatim narrantur. Nomen ipſius in noſtro lapide rectiſſime ſcriptum. De gemina* Quinctia *gente incautiſſime a DONATO ACCIAIOLO confuſa in Hannibalis vita a ſe contexta, & per dolum PLVTARCHO adſcripta. Non* Flaminium, *ſed* Flamininum *in Codicibus reſcribendum, LAMBINVS, CAVSABONVS, REIMARVS jam viderant. Cognomenta, quae ante Flamininum Quinctiis haeſerant. T. Quinctio Macedonico novum obvenit propter delatam illi* Flaminis *dignitatem, quam cum aliis Magiſtratibus petere, ac capere potuit. Flamen creatus poſt Macedonicum bellum. Clypeus Macedonicus, & Apex Pontificalis in T. Quinctii denario effictus, quae diximus, invictiſſime comprobant.*

§. II.

Dorica dialecto, qua teſte IAMBLICHO, *Lacones plerumque ſunt uſi. deſcriptum eſt hoc primum Gytheatarum decretum* **Σταπηγὸς** *nomen genericum, quo tum Civica, cum Bellica praefectura deſignatur, a* LEONE, *&* CONSTANTINO *in legum delectu merito appellatur. Hinc in veteribus monumenmentis addita nota, qua internoſceretur* **Στρατηγία ἐπὶ τῶν ὅπλων, & ἐπὶ τῆς πόλεως.** *In nummis Graecarum urbium maxime poſt Domitianum hac voce demonſtratur Magiſtratus Vrbanus : quod videtur confirmare* MODESTINVS. *Primaeva tamen* **Στρατηγῦ** *acceptio, teſte* PHILOSTRATO, *militaris fuit. Hoc ſenſu a Gytheatis in Pſephiſmate uſurpata; proinde Titum Quinctium* **Σταπηγὸν** *inibi dici, non quod Gythii res adminiſtrarit, ſed Romanorum, Sociarumque Civitatum copias duxerit.* Praetor *apud Latinos* Q. ASCONII PEDIANI, *&* VARRONIS *fide, is fuit, cui exercitus parebat. In noſtro marmore* **ΣΤΡΑΤΑΓΟΝ**, *potius quam* **ΣΤΡΑΤΑΡΧΟΝ** *legendum eſt.*

§. III.

Quam mature, & honorifice Conſulatum adeptus ſit T. Quinctius. Perperam a SIGONIO *per arbitrarium* **προχρονισμὸν** *retrahitur in an. V. C. 552.* MARMORA CAPITOLINA, *Faſti* IDACII, *&* VINDOBONENSES, PANVINIVS, PETAVIVS *anno 556. rectiſſime conſignarunt. An duplicem egerit Conſulatum. Sphalma* CHRONICI ALEX., *quod exinde in alios libros irrepſit. Alterum in tabulis Chronicis* CASSIODORI *emendandum. Codex Vindobonenſis in praenominibus Flamininorum notandis incorrectus. Laterculus Conſulatuum* FLAMININORVM *ex Latinis, Graeciſque Faſtis attexitur. Pſephiſma a Gytheatis non ante an. 559. exaratum. Prorogatum a Senatu per triennium Tito Quinctio in Peloponneſo imperium. Ex quo nota Conſulatus ipſius cum Pſephiſmate Gytheatarum plane componitur, ac conciliatur.*

Dum

Dum ludi Iſthmii ob devictos Macedones Corinthii an. 557. populo darentur, T. Quinctius a Praecone Conſul *proclamatus. Nodus, qui hinc enaſcitur, facile extricatur. Magiſtratus denominatio, eo etiam exacto, viris inluſtribus permiſſa. T. Quinctius in noſtro marmore rectius* Proconſul *fuerat dicendus, ut in Faſtis Triumphalibus* GOLTZIANIS *ad an. 560. eſt appellatus.*

§. IV.

Gythii primordia ſplendidiſſima, ac pene divina apud PAVSANIAM. Hujus Vrbis nomen varia orthographia ſcriptum a PTOLEMAEO, STRABONE, POLYBIO, LYCOPHRONE, XENOPHONTE, SCYLACE CARIANDENO, STEPHANO. Varietates id genus librariorum licentiae, & feſtinationi tribuendae. Quae ſit anteferenda. Nummus Gytheatarum ſub Archonte Eudamo percuſſus. Alii **Γυθεατᾶν**, *vel* **Γυθεατῶν** *nomine obſignati.*

§. V.

Σωτῆρος *appellatio ſummo in honore, ac pretio habita. Diis primum conceſſa; tum ad Reges traducta. Locus ARSENII Monembaſiae Epiſcopi expreſſiſſimus. Gelo in Siculorum conventu* **Σωτὴρ** *acclamatus. Seleucidarum ſtirpi hic titulus potiſſimum tributus. Demetrius a Babyloniis, Antiochus ab Aſiaticis Civitatibus, Ptolaemeus a Rhodiis* **σωτῆρες** *nuncupati. APPIANI, LVCIANI, PLVTARCHI, ARRIANI, DIODORI teſtimonia. Titus Quinctius pulſo Nabi Tyranno, reſtitutaque Peloponneſiis urbibus libertate,* **Σωτὴρ** *a Gytheatis jure appellatus. Carmen intercalare in ipſius laudem. Statuae aureae curules Demetrio Poliorcetae, & Antigono quamobrem Athenis dedicatae.*

PSE-

PSEPHISMA SECVNDVM.

Gytheatarum Commune gratae mentis ergo Marcum Panduſam ſuum Hoſpitem, ac benefactorem hoc monumento honoravit. M. Panduſa Romani hominis beneficio in Gentem Latiniam *adſcitus. Locus Pſephiſmatis hians integratur; & M. Panduſam* **Βιαδίνα Πολίτlω** *fuiſſe probatur.* **Βιανδίνα**, *ſeu* **Βιαδίνα**, *vel rectius* **Βιαδίνος** *urbs non procul a Gythio ſita. Dorienſes* Jota *in* **ει** *reſolvebant: exempla ex noſtris Peloponneſiacis marmoribus. Lacedaemones quo ſenſu* **ἄξεινοι**. **Ξενηλασίαν** *non pro abſoluta, conſtantique lege accipiendam ex* PINDARO, PLVTARCHO, & XENOPHONTE *aperte colligitur. De Tauroſcytharum* **ξενοκτονίᾳ** *adnotatio.* Chiiunnus *hoſpitum Soſpitator apud Aegyptios. Jupiter* **ξείνιος**. **Πρόξενος** *dicebatur nedum alienigena publico exceptus hoſpitio, ſed Hoſpitalis commorationis Curator, Hoſpitumque Patronus. SVIDAE, POLLVCIS, EVSTATHII, SCHOLIASTAE THVCYDIDIS, HERODOTI ſententiae indicantur.* **Προξενία** *illuſtris praefectura fuerat. M. Latinius Panduſa* Hoſpes publicus *apud Gytheatas exſtitit. Jus publici hoſpitii praeclarum ornamentum, totique familiae honorificum privilegium, ex quo multa manabant commoda. Num jus hoſpitii cum jure Civitatis componeretur. DEMOSTHENES videtur inficiari. Secus tamen accidiſſe litterati lapides, imprimiſque Senatus, Populique Delii dogma declarat. Gytheatae honorem* **ἰσοπολιτείας**, & **συμπολιτείας** *M. Latinio Panduſae haud permiſerunt, qui Biadino, non Gythio fuit adſcriptus. Publicam Hoſpitalem domum Gythio exſtitiſſe. Quae in eam adventantibus praeſtarentur. Xenodochiorum ſtructura. Eorumdem a Diverſoriis diſcrimen. Illorum nomina, cum quibus Civitates hoſpitium feciſſent, aeneis, marmoreiſque tabulis inciſa. Exemplar ſancitae Hoſpitalitatis dabatur ei, qui merito ſuo eam eſſet adeptus. Tabulae ejuſmodi diverſae a ſymbolis, &* Teſſeris. *Varia Teſſerarum hoſpitalium genera. Politiſſimi Oratoris LYSIAE ſententia ſubobſcura, & intacta explicatur. Teſſera eburnea hoſpitalitatis ritui exprimendo accommodata ex Muſeo NANIO profertur.*

PSE-

PSEPHISMA TERTIVM.

Gytheatae Simelidam Theſei fil. ſuum Civem virtutis, & benevolentiae ipſius cauſa hoc monumento condecorarunt. Pſephiſmatis apographum. A quo abeſt purus ille Doriſmus, qui in ſuperioribus ejus urbis marmoribus emicat. Verba in priori verſu injuria temporum oblitterata commode ſupplentur. Monumenta a Magiſtratibus decreta, ſumptuque publico excitata Redemptoribus, ac conductoribus nonnumquam facienda elocabantur. Locus CICERONIS *expreſſiſſimus. Plures decreti honore contenti impenſam remittebant, pecuniamque statuae fabricandae de ſuo erogabant; quod in Civitatibus minus opulentis uſuveniſſe tradit* DIO CHRYS. *Sempronius, & Nicias Simelidae Filii uſi indulgentia Civitatis Gytheatarum, monumentum aere ſuo Patri poni curarunt. Lex* THEODOSIO, & ALBINO COSS. *lata, ut statuae expenſis illorum, qui a Magiſtratibus petiiſſent, collocarentur.*

ΠΑΡΑΚΟΛΟΥΘΗΜΑ

VOTVM MINERVAE HYGIAE.

Attica Monumenta caeteris omnibus plurimum anteſtare ex ingenioſa PHILONIS *ſententia deducitur. Cecropidae genus hominum* δεισιδαιμονέστατον. *Athenae, referente* LVCIANO, *religioſis monumentis quantopere abundantes. In his fuit* Votum Minervae Hygiae, *ſive* Medicae *Athenis in Muſeum* NANIVM *aſportatum, cujus graphica deſcriptio aeri inſculpta in anteceſſum datur.*

COMMENTARIVS.

---

§. I.

PARS PRIOR ΠΑΡΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ.

Artis ſalutaris doctrina a Diis profecta. Hujus inventi gloriam Minervae adjudicat PORPHYRIVS. *Hinc* Dea Sa-

lutis *dicta*. *Minervae Medicae cum Aeſculapio affinitas*. *& utriuſque cultus apud Athenienſes communis ab* ARISTIDE, *&* PAVSANIA *celebratur*. *Minervae Hygiae effigies*, *An Minerva* **Ὑγιεία** *eadem plane ſit*, *ac* **Σώτειρα**, *&* **Παιώνια**, *ex his*, *quae* HESYCHIVS, LYCVRGVS, *&* PAVSANIAS *ſcripta reliquerunt*, *inveſtigatur*, *ac definitur*. *Minervae* Poliadi, Memori, Medicae **χαριστήρια** *ob redditam ex inſperato ſalutem*. *Minervae Medicae aedes in Regione Eſquilina*, *quare a* SEXTO RVFO Pantheum *ſit appellata*. *In hoc fano cubantibus medicationes Deam monſtraſſe narrat* CICERO. **Μαντεῖον ἐγκοιμωμένων** STRABONI *quale ſit*. *Iſidem dormientibus pharmaca indicaſſe*, *quibus aegri convaluerunt*, *fabulatur* DIODORVS. *Delubra Alexandriae*, *Coos*, *Pergami*, *Athenis*, *&c. in quibus ab Aeſculapio remedia* **κατ' ὄναρ** *monſtrata dicuntur*, *memorant* ARTEMIDORVS, EVNAPIVS, GLYCA, STRABO, HERODIANVS, APVLEIVS, SVIDAS. *Id ipſum in Cecropia praeſtaſſe Minervam*, *proditum a* PLVTARCHO *eſt*. *Vbi Pericli in ſomno apparens medicinam indicavit*, *qua cito*, *facileque curaretur Mneſicles Architectus ex Arcis faſtigio delapſus*. *Remedium a Dea monſtratum*, Perdicium *fuiſſe*, *auctor eſt* PLINIVS; *quod* CELSO Herba Muralis *dicitur*, *indeque* Parthenium *vocata*. *Hujus herbae proprietates*, *& forma*. **Ἑλξίνην** *dixit* DIOSCORIDES, **Σιδηρῖτιν** GALENVS. Parietariam *poſteriores Botanici appellavere*. *Quid de ea in Metricis praeſcriptionibus*. *Circa Arcem*, *ſive Cecropiam naſcebatur*. *Hujus rei conſectaria*.

§. II.

PARS POSTERIOR **ΚΑΤΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ**.

Noſtri anaglyphi affiguratio partite deſcrbitur. *Aegri tres Minervae Hygiae opem poſcentes*. *Primus eorum videtur* **κεφαλαίᾳ** *laborare*. **Ὑγίειαν** *incommodis omnibus eo uſque fingebatur eſſe opitulatam*, *ut puellae decapillatae comam divinitus reſtituerit*. *In noſtro anaglypho videtur* Perdicium *manu te-*

nu tenere; vel **περίαμμα**, *quod antiquis Medicis* **σωτεῖρα Ἀθηνᾶ** *appellabatur. Epigramma AESCHINIS Rhetoris de* **Κεφαλαλγεῖ** *ab Aeſculapio ſanato. Alter, qui in marmore ſalutem a Dea ſupplex efflagitat, eſt luminibus orbatus. De caecis, quos monſtrato ſibi per ſomnium remedio, viſum recuperaſſe, SVETONIVS, & SPARTIANVS tradiderunt. Minerva* **Ὀξυδερκὴς**, *quae Diomedi caliganti dicebatur opem tuliſſe. Minerva* **Ὀφθαλμίτις**, *cui templum Lycurgus fecit. Poſtremus aegrorum arthritide correptus. Animalia lapidea Minervae Servatrici ob Nicanoris ſalutem dedicata apud LAERTIVM. Pictae in fanis tabellae votivae. Imago, quam ad Marciae lucum PLVTARCHO auctore, obtulit Marius. Sigilla quaedam argillacea Diis Salutaribus conſecrata ex Dalmatia in NANIORVM Cimelium devecta. Trium aegrotantium, quibus Minerva priſtinas vires reddidiße putabatur, nomina continenter ſcripta diſtinguuntur. Morborum, & curationum narratio in Fanis Deorum deſcripta. Tabellae id genus Romae ad aedem Aeſculapii inventae. In ſomnis, monſtris, portentis tota deliravit antiquitas. Ex quo certiſſimum relinquitur, commentitia, fraudolenta, mentitaque fuiße prodigia omnia, quorum conferti ſunt Ethnicorum libri.*

PARS QVARTA.

ΣΥΜΜΙΚΤΑ NECROLOGICA.

ΕΙΣΑΓΩΓΗ.

Religio ſepulcrorum ab Ethnicis omni ſtudio retenta, quod homines exceſſu vitae minime deleri putarentur. Duplex quaeſtio de phialis lacrymatoriis, & lucernis **ἀσβέστοις** *attingitur, & neutras exſtitiße raptim probatur. Monumentorum ſepulcralium Muſei NANII ſeriem a* **ΝΕΚΡΟΚΟΡΚΥΡΑΙΟΙΣ**

 pla-

placuit inchoare. Tres breviuſculi tituli cuneis lateritiis inſculpti. De operibus figularibus, quae Colonia Libertinorum, teſte STRABONE, ex ſepulcris Corinthi effoderunt. Corcyraei origine Corinthii a THVCYDIDE dicuntur. In PLINIO legendum fictilibus ſoliis, *non* doliis *oſtenditur: quo nomine FLORVS, CVRTIVS, SVETONIVS ſepulcralia monumenta appellarunt. Vrnas argillaceas ab uſitatis conditoriis haud excludenda.* Cuneorum *Corcyrenſium uſus ex VITRVVII, & PHILANDRI praeceptionibus demonſtratur.* **Χαῖρε** *etſi aliquando male ominatum verbum, in tumulis amica, & benevola apprecatio eſt. Nonnumquam geminata: vetuſtiſſimum hujus moris apud ARISTOPHANEM exemplum.*

§. I.

EPIGRAMMA PVERI ALEXANDRI CORCYRENSIS.

Marmoris exemplar ad fidem autographi in Gazam NANIORVM tranſvecti ob oculos proponitur. Nitidiſſimum epigramma ubi primum Corcyrae eruderatum fuit doctorum par LAZZARINVS, & STRATICO' explicandum ſuſceperunt. Vtriuſque interpretatio ſubobſcura, perplexa, mireque fluctuans. Pro **μυρία** *perperam a LAZZARINO, & MVRATORIO refingitur* **μύρα**. *Quae ſit vocis* **ἀποφθιμένος** *vera, propriaque ſignificatio. Verbo* **κυθεῖσα** *vim activam tribuerunt LAZZARINVS, MVRATORIVS, BONADA. Paſſivam certiſſime apud HOMERVM habere docetur. Similis pene dictio in LVCRETIO occurrit.* **Πνεῦμα** *ab antiquis Ethnicis ſcriptoribus longe ante aevum Theodoſianum pro* **ψυχῇ** *uſurpatum eſt. Viri eruditi ſententia oppugnatur. DEMOSTHENES, ARISTOTELES, perſpicueque EVRIPIDES ea voce non ad flatum, ventum, aut reſpirationem, ſed ad animam deſignandam uſi ſunt. Puer Alexander ſagittandi peritus: quam artem Dii ipſi praeclaram reputarunt. Strophades in noſtro epitaphio* **ἁλίαι** *dictae, a STRABONE* **πλά-**

πέλάγιαι, & ab APOLLONIO πλωταὶ appellantur. Poſtremus epigrammatis verſus male a STRATICO ſollicitatus, vexatuſque veriori lectioni reſtituitur. De voce Χρηςὸς, vel ἀγαθὸς, qua mortuos compellare mos erat, THEOPHRASTI locus luculentiſſimus.

§. II.

RELIQVA CORCYRAEA EPITAPHIA.

Phaeacum Metropolis φιλοξενωτάτη a CALLIMACHO nuncupata. In ea Corcyrae regione, quae Palaeopolis dicitur, convenis, ac popularibus locus ſepulturae quondam datus. Peregrinorum, & Indigenarum tumuli Corcyrenſes unde diſcernendi. Horum tituli perſaepe ſolis nominibus comprehenſi. Plerumque etiam aediculae formam δυόςυλον referunt, antepagmentis terminatam, cymatio, triglypho, tympano ornatam. Vtrumque morem a Sicyoniis profluxiſſe, auctor eſt PAVSANIAS.

§. III.

MONVMENTA
LEVCADIS, CEPHALLENES, ET THESSALONICAE.

Leucadia quondam Acarnaniae connexa. Vt ab ea diducta fuerit, SCYLAX Cariandenſis tradit. Λευκάδα, & Λευκάδιαν diſtinguit THVCYDIDES. Celebritas ΛΕΥΚΑΔΙΩΝ ΑΓΩΝΩΝ. Apollinis Leucadii templum. Leucadiae reliquiae eruditae quanti faciendae. Λεόντιον, cujus meminit marmor Leucadium, mulieris nomen, quo donabatur inſignis, & docta Epicuri pellex. Commentarios ab ea conſcriptos contra Theophaſtum memorat CICERO. Comicum etiam nomen ὑποκοριςικὸν ETYMOLOGO eſt. A Leucadia brevi intervallo removetur Σάμη, Epirus Nigra, ſeu Cephallenia. In priori hujus Inſulae epigramma Homerica, & Thucydidea

vox deprehenditur. Sigma inibi ſicut in DELIACA, & SIGEA inſcriptione bis deformatum. Tertius epigrammatis verſus ancipitis lectionis reſtituitur. **ΔΙΑΤΟΣ**, *&* **ΑΙΑΤΟΣ** *vox* **ἄσημος**. *Refingendum* **ΑΙΑΚΤΟΣ** *pro* **ΑΙΑΚΤΗ**: *genus loquendi Atticis, & Dorienſibus uſitatum. Nota numerica in altero Cephallenes epigrammate quomodo exponi debeat. Theſſalonica origine, frequentia, opibus, aliiſque multis, & magnis rebus* **λαμπροτάτη**, *quo nomine illam inſignivit TZETZES. Quod plane comprobant varia emblemata nummis* **ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ** *inſculpta. Abjecto inanium Deorum cultu in prima Macedoniae provincia eſt numerata. Duplex illius inſcriptio, altera Ethnica, altera Chriſtiana: in utraque nexus litterarum perſimiles.* **Τρόφιμος** *varie accipitur ab ALEXANDRO AETOLO, & HESYCHIO. Dori Polycarmi Vernae tumulus* **στηλοειδής**. *Veterrima iſthaec apud Judaeos, Graecoſque ſepulcrorum forma. Sed Apharei Idae patris conditorium* **στηλοειδέσιν** *nequaquam accenſeri poſſe. Huic ſimulacrum, non columnam fuiſſe ſupervoſitam teſtatur LYCOPHRON; atque illud ex marmore* **ξεστῷ** *exſtitiſſe PINDARVS nullus haeſitans dixit.* **Στήλη** *vox ambigua. LYCOPHRON, & THEOCRITVS, qui inter ſe pugnare videntur, in concordiam adducuntur. De Chriſtiano* Macedonis, *&* Soſigeniae *titulo ſermo inſtituitur. Cauſſam, cur ſepulcra a primaevis noſtrae Religionis cultoribus* **κοιμητήρια** *appellarentur enarrat IOH. CHRYSOSTOMVS. Tranquillis Chriſtianae Reipub. temporibus erant in areis conſecratis: afflictis, turbatiſque Eccleſiae rebus in hypogeis. Dicta etiam* **μαρτύρια**. *Spem futurae* Reſurrectionis, *quae Chriſtianorum animis alte inhaerebat, produnt formulae loculis, & requietoriis illorum inſculptae. Ea citra omnem ambiguitatem expreſſa in lapide Theſſalonicenſi. Epitaphium Graecum Irenes nimis vitiatum, & ambiguum. Latinum Aurelii Balbi apocryphum. De* Phoenice *in Ethnicorum monumentis inanes ZOBELLII conjectationes.* **Ἀνάστασις** *antiquis Philoſophis inexplorata. AENEAE GAZAEI verba nihil huic opinioni reipſa refragari. Notio, ſpeſque Reſurrectionis unis*

Chri-

Chriſtianis patefacta, atque injecta. Piſcis ſymbolum marmori Theſſalonicenſi additum, quò ſpectet, ex ANASTASIO SINAITA, & TERTVLLIANO brevi indicatur.

ſ. IV.

SEPVLCRA ANAGLYPTICA
EMBLEMATIS, IMAGINIBVSQVE DISTINCTA.

Epitaphium Hermionae *ex vocum laciniis, diſſipatiſque litteris integrum elicitur. In eo reſcribendum eſſe* **ΑΛΥΠΗ** *demonſtratur.* **Ἀλυπίᾳ** *fruebantur, qui in Elyſias, fortunataſque deveniſſent ſedes. Mortuis acclamatum in titulis ſepulcralibus, quod eſſent malorum expertes. Fieri tamen poſſe, ut Hermiona* **ἀλύπη** *ſit dicta, quia nulli moleſta exſtiterit, LVCIANI teſtimonio probatur. Caeterum paſſivam hujus vocis ſignificationem, monente POLLVCE, multo eſſe propriorem. De poſitu, geſtuque, quo Hermiona noſtro in marmore efficta comparet, caeteriſque ſculpturae parergis. Ritus porrigendae dexterae in vitae exitu a Troicis temporibus receptus. Quid portendant manus elatae, explicataeque in ſepulcris exſculptae.* Eugeniae *titulus explicatus.* **Εἰκονισμὸς** *in* Philumenae *ſepulcro quid obnuntiet. Nulla inibi Perſephones Inferorum Reginae veſtigia deprehendi. Puellam adſtantem non eſſe Philumenae animam collectos in arcula ſui ipſius cineres Proſerpinae exhibentem, commendantemque. Ad funebrem ritum ea affiguratio referri debet. Arcula fortaſſe eſt* Acerra, *de qua tabulae Decemvirales. Sed veroſimilius* **κόσμον γυναικεῖον** *continebat. Exeſa, ac detrita* Pollae *epigraphe ſuppletur.* Prothymi *inſcriptio illuſtrata.* Chreſtus *non ſemel nomen proprium fuerat. Clariſſimi nonnulli Viri hoc nomine donati a PHILOSTRATO, & MEVRSIO recenſentur. Prothymum naufragio periiſſe. Navim eminenti forma, acroterio, & temone munitam, quae ante illum eſt, non eſſe Charontis cymbam, quae* **πορθμὶς** *ARISTOPHANI dici-*


dicitur. De lunata *duarum litterarum epſilon, & ſigmatis figura, quae in productis monumentis obſervatur, ſummatim diſſeritur. Quantopere abſit a vero illorum judicium, qui monumenta talibus characteribus ſcripta ad ſequiorem detrudunt aetatem, vel vix ante aevum Auguſteum exarata putant. Ejuſmodi litterarum formam oſtentant Clypeus Archidami Ageſilai fil., nummi Antigoni* **Βασιλέως**, *Gentii Illyriorum, Polemonis Ponti Reg. & Lebes Mithridatis Eupatoris. Littera Simonidea priſcis Graeciae incolis minime incomperta.* **Παράςασις** *ſepulcri anaglyptici Muſei OLIVERII declaratur. Duo APOLLONII, quibus ſepulcrum dedicatum, cujus* Heracleae *veroſimilius Cives eſſent diſquiritur. Marmor facile ex Peloponneſo Piſaurum tranſlatum. Vox* **τράπεζα** *in vita ISOCRATIS perperam pro* **τρικλινίῳ** *a nonnullis accepta. Vetuſtior menſarum forma, ATHENAEO, & EVSTATHIO judice, quaenam fuerit. Servi* **οἰνοχόοι**. **Νεκρικὰ συμπόσια** *ab Heroica uſque memoria repetenda.* **Περίδειπνον** *non ſolum ad luctum levandum, ſed alia de cauſſa invectum, & apparatum ex LVCIANO eruitur.*

ΕΠΙΜΕΤΡΟΝ

QVO
GRAECAE SCVLPTVRAE ΑΓΡΑΦΟΥ
EXPLICATIO TENTATVR.

Quam anceps, difficile, incertumque ſit hujus anaglyphi judicium. §. I. Ingenioſum illorum commentum, qui Martem, Rheam Silviam, & Romulum inibi repraeſentari autumant, refellitur. In nummis **ΚΥΔΩΝΙΑΤΑΝ** *puer lupam lactans, non Romulus, ſed* Miletus *eſt. §. II. Refutatur illorum opinio, qui in hoc toreumate Hectorem, Andromacham, & Aſtyanacta agnoverunt. §. III. Item exploditur eorum ſententia, quibus viſum eſt, Achillis, & Deidamiae nuptias hoc in marmore demonſtrari. PAPINII, & BIONIS narratione ea opinio labefactatur, ac diruitur. §. IV. Ex marmoris affigu-*

figuratione, prolatiſque ſuperius monumentis in ſepulcralium cenſum eſſe numerandum conjicitur. PINDARI, OPPIANI, EVRIPIDIS, NOSSIDIS *loca, ex quibus elicitur, quo ſpectet ſolutae* Zonae *ſymbolum Mulieri in hoc anaglypho datum.* AELIANO, *&* ARTEMIDORO *praeeuntibus inveſtigatur, quid denotet animal biſulcis pedibus huic ſepulcro adjunctum.* Ad Nobiliſs. SENATOREM NANIVM *in Triumviros Rei litterariae mox a Senatu adſcitum adlocutio.*



Alt. pal. Rom: 1:9.

IMPRIMATVR,

Si videbitur Reverendiſſimo P. M. S. Pal. Ap.

D. Archiep. Nicomed. Viceſg.


IMPRIMATVR,

Fr. Th. A. Ricchinius M. S. P. Apoſt. Or. Praed.



Alt Palm Rom. 7. 3.

PSEPHISMATA
EPIDAVRIORVM ET GYTHEATARVM



PSEPHISMATA
DVO EPIDAVRIORVM

VRBEM in Argolicis quondam perbeatam, ac florentiſſimam jam ante Dorienſium in Peloponneſum adventum, Epidaurum exſtitiſſe, eamque Pityreo Rege, claruiſſe accepimus. Sed poſtquam Deiphonti, & Argivis illius imperium traditum fuit, qua popularium virtute, armis, opulentia, qua agri ſaturitate, copiaque omnium rerum, qua aedificiorum varietate, ac pulchritudine, qua ſpectaculorum, ludorumque apparatione, qua incolarum frequentia, qua tandem Aeſculapii religione, cultuque Civitas deinceps facta eſt multo ſplendidior, Ci-

viumque nomen apud poſteros etiam memorabile, magnumque evaſit. Quid enim Epidauriis generoſiſſimis equis [1], commendatius? Quid fano Aſclepii [2], aut Dianae luco, aut Vene-

1 VIRGILIVS *Georgic.* III.

Taygetique canes, domitrixque Epidaurus Equorum.

2 Aeſculapii Fanum religione, frequentia, donariorum opulentia, varietateque ſamigeratum paſſim apud ſcriptores veteres STRABONEM *lib.* VIII. PAVSANIAM *lib.* II. *cap.* XXVII. LIVIVM *lib.* XLIV. *cap.* XXVIII. PLINIVM *lib.* IV. *cap.* V. ARISTIDEM *Orat. in Aeſculapium Opp. tom.* I. ſummis laudibus effertur. De eo etiam egerunt, qui peculiares de Aeſculapio commentationes edidere, ut CHRISTIANVS GOT. SCHWARZIVS, *Expoſitio veteris Inſcriptionis de Aeſculapio, & Hygea Diis φιλανθρώποις*. Nonnihil practeica ob intimam argumenti affinitatem habent, qui de *Dea Salute*, aut de *Teleſphoro* diſputarunt. Ita MVSGRAVIVS *Diſſert. de Dea Salute, in qua illius ſymbola, templa, ſtatuae, nummi, inſcriptiones exhibentur, & illuſtrantur*. CLAVDIVS GROSSEVS de Boze, *Diſſertation ſur le culte, que les anciens ont rendu a la Deeſſe* SANTE, *avec des medailles, & quelques autres monuments, qui ont rapport a cette matiere*; ZORNIVS *de Theleſphoro in nummis, gemmis, & inſcriptionibus, Aeſculapii, & Hygiae comite*. Exſtat *in Miſcellaneis Groningae tom.* II. *Faſcicul.* II. Epidauriorum exemplo edoctae, atque incenſae urbes aliae complures Aeſculapio, quem gentes omnes *Servatorem* concordi ſenſu appellavere, aedes permagnificas dedicarunt, ut Coos, Pergamus, Athenae. Confer MEIBOMIVM *de Incubatione in fanis Deorum medicinae cauſſa* §. XXIII. Praecipuum, proprium, & individuum Aeſculapii ἐπίσημον, ac ſymbolum SERPENS eſt, vel baculo circumvolutus, vel eſcam in patera depaſcens, vel arreptam ore coronam deferens (V. *Peinture apportè de Rome. Hiſtoire de l'Academie Royale to.* V. *pag.* 297.), vel arbori inſidens; quemadmodum in marmorea Tabula Peloponneſia, quam tribus ab hinc annis protulimus, atque illuſtravimus in παρεκβάσει operis: *ad Nummos IIIviri Marci Antonii Animadverſ. Philologic. p.* 92. ubi veram, abſolutamque hujus ſymboli cauſſam aperuimus. Epidaurii idcirco Aeſculapio devotiſſimi Serpentis effigie ſuos nummos obſignarunt. Quum ergo de hujus urbis pſephiſmate nobis eſſet agendum, commodum viſum eſt, monetam illic percuſam litterae majuſculae includere. Supremam vero hujus paginae oram tribus elegantiſſimis caelatis lapillis Muſei Nanii ornandam cenſui, ut eruditas ejus generis cupedias, quibus illud ſummopere affluit, in lucem efferrem. Porro *Capra*, atque *Leo* in vetuſtiſſimis Peloponneſi nummis occurrunt, & cum operis argumento conſentiunt. Achatem, quae inter Onycem, & Baſaltem cernitur, nullus dubito, aut munuſculum fuiſſe ab amaſio puellae

Veneris, Themidiſque cellis apud illos celebratius? Quid ſimulacris, tabulis, picturiſque Thraſymedis in ea urbe elegantius? Quid theatro, Polycleti opus [1], & **ΤΟΙΣ ΙΕΡΟΙΣ ΑΓΩΝΟΙΣ ΤΟΙΣ ΜΕΓΑΛΟΙΣ ΑΣΚΛΗΠΙΟΙΣ** quae *διὰ πενταετηρίδος* peragebantur, ſpectabilius [2]? Quid denique ea, quam cum Romanis inivere, amicitia, animorumque conjunctione gravius, aut illuſtrius? Verum illud potiſſimum, mea ſententia, Epidauriis in laude ponendum, quod praeclara ſtudia, artem bellicam, munificentiam, honeſtatem, verbo dicam, virtutem, ſine qua nihil laudari poteſt, in hominibus maxime ſuſpicerent, eorumque famam,


---

lae miſſum, aut *μνημόσυνον* ab eodem delatum cum illius, quam deperibat, imagine. Eo ſaltem alludere videiur titulus: ΑΝΘΟΣ ΦΥΣΕΩΣ; talibus enim laſcivibundis, mollibuſque nuncupationibus mulierum amatores illarum pulchritudinem ſtultiſſime praedicaſſe, ex antiquis *Eroticorum* libris diſcimus.

1 PAVSANIAS *l. c.*

2 Apud SMETIVM *Inſcript. Antiqu. pag.* 314. 415. fit mentio ΤΩΝ ΙΕΡΩΝ ΑΓΩΝΩΝ ΤΩΝ ΜΕΓΑΛΩΝ ΑΣΚΛΗΠΙΩΝ. In Oxonienſibus marmoribus *num.* VII. celebratur C. Ant. Septimius Publius, qui ſolus, & primus vicit multa certamina Smyrnae, Romae, Pergami, Neapoli, atque etiam ΕΠΙΔΑΥΡΟΝ ΑΣΚΛΗΠΕΙΑ. Rurſus *Sacra*, & *Magna* appellantur certamina Agoniſtica, Muſica, Poetica in honorem Aeſculapii Servatoris inſtituta in aliis Graecis marmoribus Theſauri GRVTERIANI *pag.* CCCCX. 3. CCCCXV. 1. Haec ſollemni advenarum frequentia, ingentique pompa peragebantur etiam Ancyrae. Liquet praeſertim ex urbis illius nummis, in quibus expreſſi lebetes, ſive crateres cum inſertis palmae ramis (conſuetum Gymnicorum Agonum inſigne) additaque circulatim inſcriptione: ΑΣΚΛΗΠΙΑ ΣΩΤΗΡΕΙΑ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΑΝΚΥΡΑΣ. Ex Epidauro tamen ad caeteras Civitates hi ludi procul dubio manarunt; idcirco Athenienſes, teſte PAVSANIA, *lib.* II. agones ejuſmodi ΕΠΙΔΑΥΡΙΑ *ὀνομάζουσι*. Quae quum uberrime, & ornatiſſime a MEVRSIO in *Graecia Feriata*, atque a SPANHEMIO in prima ad MORELLVM epiſtola (*ad calcem Specim. Rei Nummariae*) jamdiu pertractata fuerint, principes hujus rei ſcriptores indicaſſe ſufficiat. Sed haud queo mihi temperare, quin hic etiam obſtupeſcam mirificas ſubtilitates, vanaſque divinationes JAC. MARTINI, qui in gemma quadam obſcuris, incertis, ac pene magicis emblematis, exoticiſque characteribus ornata ſacra Aeſculapii, nomenque Auguſti ſibi viſus eſt vidiſſe: quae duo nemo hominum in his ſtudiis leviſſime verſatus ſibi obtrudi patietur. *Jeux Inſtituez en l' bonneur d'Eſculape. Monuments ſinguliers pag.* 355.

ſamam, qui magnis in Remp. meritis inclaruiſſent, immortalitati commendare ſtuderent. Adeoque non ſolum temporarios honores, immunitates, coronas, largitiones, ſed praemia longum in aevum duratura recte factis conſtituebant, illam ſcilicet gloriam, quae ex omnibus virtutis praemiis, teſtante CICERONE, una pulcherrima merces eſt, quaeque quaſi altis defixa radicibus non tam facile ex mortalium memoria exuri poſſet, ſed ad poſteritatem nullo non tempore deflueret, perenniſque manaret. Hinc illuſtrium Epidaurenſium nomina, Senatus, populique voluntate publicis conſignata monumentis. Hinc ſtatuae, imagineſque illis publico in loco decretae. Argumento ſunt duo τῆς ζαθέης Ἐπιδαύρȣ Pſephiſmata uni inciſa marmori, quae in lucem educo ex inclyto NANIORVM Cimelio.



1705. ex Peloponneso — *alt. palm. Rom. nº 4:8.*

Vtrumque ſane publica fulcitur auctoritate; verumtamen quum illud, quod in principe, & antica cippi facie

cie ſculptum viſitur, non privati hominis interventu, rogatuque, ſed ſola Senatus, populique juſſione promulgatum, & conſcriptum fuerit, ſtatuamque eidem tamquam ſuae baſi impoſitam memoret, ac denique de homine loquatur, qui ob ingentia ſua merita, collata in Civitatem beneficia, ſpectatamque virtutem in hunc conſcenderat honorem; ab hoc potius, quam ab altero convenientiſſime exordimur. Ampliorem praeterea huic Decreto conciliat gratiam, dignitatem, atque exiſtimationem, quod verſibus expreſſum ſit; tetraſtichon quippe eſt quatuor conſtans hexametris. Nihilominus mendoſa orthographia fuiſſe exaratum, ideoque medica manu egere, cuivis facile apparebit, qui litteras aut a quadratario perperam mutatas, aut redundantes animadvertet. Idcirco exemplar autographo plane reſpondens de more in anteceſſum conſtituam, tum emendatum, & in verſus diſtributum dabo. Eſto itaque:

ΑΛΚΙΔΟΥΒΑΣΣΟΝ
ΓΕΝΕΗΣ ΕΡΙΚΥΔΕ
ΑΦΩΠΑ' ΒΟΥΛΗ
ΚΑΙΔΗΜΟΣ ΝΑΕΤΑΙ
ΖΑΘΕΗΣΕΠΙΔΑΥ
ΡΟΥ ΑΝΤΕΥΡΕΡ
ΓΕΣΙΗΣΤΗΝΠΟΛ
ΛΑΚΙΔΩΚΕΠΟΛΗΙ
ΕΙΚΟΝΙ ΤΗΔΕΓΕΡΗΡΑΝ
ΘΕΩΝ ΒΟΥΛΑΙΟΝΑΝΑ
ΚΤΩΝ.
Ψ Β

Vitiatos verſus ita reſtituo.

'Αλκί-

Ἀλκίδȣ βάσσον γενεῆς ἐρικυδέα φῶτα
βȣλὴ, καὶ Δῆμος ναέται ζαθέης Ἐπιδάυρȣ
Ἀντ' ἐυεργεσίης, τὴν πολλάκι δῶκε πόληι
Ἐικόνι τῇδε γέρηραν Θεῶν Βȣλαῖον Ἀνάκτων.
Ψηφίσματι Βȣλῆς.

Senſus ſic exprimi poterit.

Baſſum Alcidis (filium) *genere perilluſtrem virum*
Senatus, ac populus incolae Divinae Epidauri,
Pro beneficentia, quam ſaepe exhibuit civitati,
Statua hac honorat Deorum Regum conſiliarium.
Senatus Conſulto.

COM-



Alt. palm. Rom 2 10
Ex. Peloponneſe 1705

COMMENTARIVS

§. I.

**ΑΛΚΙΔΟΥΒΑΣΣΟΝ
ΓΕΝΕΗΣΕΡΙΚΥΔΕ
ΑΦΩΠΑ.**

Ἀλκίδȣ βάσσον γενεῆς ἐρικυδέα φῶτα.

MVLTAE quum cauſſae mihi eſſe videantur, quamobrem politiſſima Graecorum natio, omnium litterarum, atque humanitatis ſtudiis exculta tanti fecerit divinam artem carminis; tum ea imprimis cauſſa viſa eſt, quod Poëſis inde ab initio nonniſi pangendis Divorum laudibus, concelebrandiſque clarorum virorum virtutibus nata, inventa, conſecrataque fuerit. Nullam ſcilicet illa orationem, nullum praeconium Coelitibus, viriſque magnanimis accommodatum, dignumque rebatur, quod non eſſet certis numeris, metroque concluſum: ſive quod ea ars donum Deorum putaretur, ſeu verius, quod haec loquendi ſcribendique ratio ingenioſa quadam inflammatione, magniſque utatur luminibus, unde oratio rhythmis adſtricta animos hominum altius pervadat, eiſque tenacius inhaereſcat. Hinc qui in Graecis ſapientes habiti ſunt, illuſtria majorum ſuorum facta verſibus tradi voluerunt, quos deinde, ut adoleſcentes, magnis propoſitis exemplis, ſe ipſos vero mirifica quadam cohortatione ad virtutem in utraque fortuna laboribus, ac vigiliis quaerendam provocarent, atque incenderent, in conviviis legi fecerunt [1]. Eamque ob

1 CICERO *Tuſcul. quaeſt.* I. *&* *de Claris Orator.* VALER. MAXIMVS *lib.* II. *cap.* I. Etiam laudes illuſtrium virorum, quae in anniverſariis diebus recitabantur, ſive 'επικήδεια annua verſibus erant comprehenſa. Vide CAESAREM SCALIGERVM *in Poetic. lib.* III. *cap.* CXXXVI.

rem quum praeſtantiſſimi alicujus hominis laudes, & ingentia in Remp. merita fuerant marmoreis, aeneiſque tradenda monimentis, memoriae illius ſempiternae multo felicius conſultum putarunt, ſi verſibus eſſent deſcripta [1]. Ejus plane generis eſt ea, quam hic ſumpſimus explicandam, baſi Statuae perilluſtris viri BASSI ALCIDIS F. quondam inſculpta. In quo Senatus, Populuſque divinae Epidauri nihil profecto egit, quod non ab aliis Graeciae populis, atque urbibus longe antea praeſtitum fuerit, qui Heroum imagines vel delicatiſſimis elegis, vel concinnis hexametris decorarunt, quemadmodum ex HERODOTI, XENOPHONTIS, PLVTARCHI, ac PAVSANIAE libris intelligi, deprehendique poterit [2]. Elogia hujuſmodi apud Graecos praeſertim uno tantum diſticho ſaepenumero conſtabant, plerumque vero tetraſticho erant comprehenſa [3]. Neque tamen ex eo eveniſſe cum VOSSIO crediderim, quod zophori, aut coronidis anguſtia, quibus carmina inſculpebantur, numero majora deſcribi vetaret [4]. Nam ſi de encomiis ſermo ſit, quae viris illuſtribus jam demortuis laudandis τάφῳ addebantur, quibus idcirco ἐπιταφίων nomen perpetuo adhaeſit, non ea ſemper zophoro, aut coronidi, ſed interdum columnae, cippo, aut tabulae praegrandi incidebantur. Honorariae autem metricae inſcriptiones una cum ſignis, atque imaginibus

1 DU BOS *Reflexions critiques ſur la Poeſie, & ſur la Peinture* I I. XXXVII.

2 Vetera Epigrammata, quae ab hiſce ſcriptoribus memorantur, magna parte collegit, popularis meus, optimuſque Philologus FRANCISCVS BONADA Scholar. Piarum, e vivis praemature ſublatus in libro: *Carmina ex antiquis lapidibus Diſſertationibus, & notis illuſtrata*; quo libro multo ampliorem, ut mihi videtur, laudem collegit, quam JOH. BAPT. FERRETIVS ſuis *Muſis lapidariis*.

3 Non ita hoc accipi volo, quaſi inficiar licuiſſe poëtis hunc verſuum numerum praetergredi; compertum enim habeo, exſtare in veterum lapidum collectaneis antiqua Graeca epigrammata, quae decem, vel amplius conſtant carminibus. Quamquam fuit hoc Latinis uſitatius, quam Graecis, qui in eo poëſeos genere ſatietatem longiuſculae orationis maxime devitabant.

4 *Inſtitut. Poetic. lib.* III. *cap.* XXI.

nibus nomini, virtutique eorum conſecratae, in quos populus tantam gratiam, dum adhuc vita fruerentur, conferre vellet, erant in Statuae baſi exaratae; utrobique vero non modo quaternis verſibus, ſed longioribus epigrammatis commodiſſimus fuerat locus. Sed quum haec monumenta publicis in locis excitarentur, ideo id genus elogia in pauciſſima contrahebantur carmina, ut ſtatim nomen genus, facta, merita illius, cui eſſet vel Statua, vel epigraphe dedicata, legere poſſet oculo properante viator. Ineſt praeterea brevitati, monente CICERONE, vis quaedam, quae efficit narrationem dilucidam, ſaepe etiam argutam: quae duo maxime in epigrammatis Graeci, juxta ac Latini imprimis requirebant [1].

Venio ad tituli enarrationem. Commendant hic merito Epidaurii civem ſuum Baſſum, quod clara ſtirpe eſſet progenitus, patremque habuerit optimae, honorataeque conditionis Alcidem; *ἡ δ' ἐυγένεια παρ' ἑκάστοις οἴκοι τίμιος. ἔτι διότι βελτίους ἐικὸς τοὺς ἐκ βελτιόνων. ἐυγένεια γάρ ἐστιν ἀρετὴ γένους*; *nobilitas autem apud omnes domi eſt honorata: propterea quod veriſimile eſt meliores creari ex melioribus: nobilitas enim eſt generis virtus* [2]. Ideoque permulta ſunt marmora, in quibus praeter vitam laudabiliter, & cum virtute traductam ab illo, cujus nomini monumentum dedicatur, etiam ipſius familiae ſplendor recenſetur [3]. Non enim eximia quaedam laus, quam parit alto e ſanguine genus, excludi credebatur eo effato, quod tantope-

---

1 THOMAS CORNEVS *lib. de conficiendis epigrammatis cap.* XXIV. *de elogio*. Ingenium, acumen, elegantia in his requirebatur; quapropter HORATIVS art. Poet. v. 372.

> . . . . *mediocribus eſſe poetis*
> *Non homines, non Dii, non conceſſere Columnae.*

Ad eas fortaſſe alludit columnas, quibus illuſtrium virorum elogia inſcribebantur. Confer FIGRELIVM *de ſtatuis illuſtrium Romanor. cap.* XXVI.

2 ARISTOTELES *Politic. lib.* III. *cap.* XIII.

3 Occurrunt ſaepenumero in antiqu. Inſcript. Collectaneis exempla: nos ipſi retulimus *pag.* 94.

re inculcat Philo Jvdaevs: *μόνȣς χρὴ λέγειν εὐγενεῖς τȣ̀ς σώφρονας, ϗ̀ δικαίȣς, κἂν τύχωσιν ἐξ οἰκοριβῶν, ἢ ἀργυρονήτων γεγονότες*, *nobiles dicendi ſunt ſoli prudentes, juſti, etiamſi e vernis, aut empticiis prognati* [1]. Quamquam nemo hominum ibit inficias, nobiliſſimos potiſſimum eos cenſeri, appellarique debere, qui acceptam a patribus ſanguinis celebritatem ſuis ſtudiis, ac moribus augent, atque cumulant, & claris nomen virtutibus aptant [2].

Tantum profecto in generis nobilitate, claritateque decus eſſe poſitum, tantamque ex ea amplitudinem, & gloriam promanare, omnium pene populorum mentibus informatum, anticipatumque fuerat, ut certe plura de hac re in antiquorum libris ſcripta reperiantur. Sed exinde hominum ambitione, faſtuque nobilitatis laus eo ſuccrevit, ut uberrimae, prolixaeque admodum ſcriptionis materiem ſuppeditaverit Hvmpredo [3], Poggio [4], Camvtio [5], Tvrtvreto [6], Pharetrato [7], Caimio [8], Simonio [9], Matthaeo [10], Baroni [11], Tiraqvellio [12], Gvrtilio [13], Vealdo [14], Hollanderio [15], Casselio [16], Hagemanio [17], Lamothe,

1 In libro ΠΕΡΙ ΕΥΓΕΝΕΙΑΣ.
2 Jvvenalis *Satyr.* viii. Innumeras id genus ſententias invenies apud Stobaevm *Serm.* lxxxiv.
3 *Libri* iii. *de nobilitate*.
4 *De nobilitate liber*. Inter ejuſdem opera *edit. Baſileae pag.*64.
5 *De nobilitate libri* viii. *hactenus in lucem nuſquam edit. Mediol.*1641.
6 *Horae Succiſſivae de nobilitate*.
7 *Tractatus de nobilitate in honore, & pretio habenda*.
8 *De nobilitate liber. Vtini*.
9 *Liber de vera nobilitate*.
10 *De nobil., & de Principibus, Ducibus, Comitibus &c. Franequerae*.
11 Egvinarti Baronis *de nobilitate libri* iii. *tom.* iii. *Opp.* Opus ad nihil propemodum utile.
12 *De nobilitate, & jure primogeniorum*.
13 *In Tractat. Magn. tom.* xvi.
14 *In diſputat. Baſileenſ. volum.*iv.
15 *De nobilit. liber Prodromus. Antuerpiae*.
16 ΕΥΓΕΝΗΣ, *ſive de nobilitate libellus*.
17 *De Omnigena hominis nobilitate libri* iv. *digeſti ex Jure Divino, Canonico, Civili, Feudali &c.*

THE [1], BALSACO [2], ROQVIO [3], MENETREIO [4], BOVLAINVILLIERSIO [5], SANTINELLIO [6], GENTILIO [7], qui nobilitatis originem, jura, differentias ſtudioſiſſime anquiſiverunt. Pace tamen tot illuſtrium virorum dixerim, alios quaecumque ſe illis obtulerant, incerta etiam, & extranea confertim copulaſſe, alios quae Graecorum, aut Romanorum erant propria, diverſis nationibus perperam attribuiſſe, alios non quae in veteri hiſtoria ſunt deſcripta, ſed recentium Juriſconſultorum reſponſa, vel potius opinationes eſſe perſequutos, alios denique noſtrae potius, quam priſcae aetatis mores, ac politiam prae oculis habuiſſe: quo fit, ut ad Graecos ſtatuarum titulos, aliaſque inſcriptiones viris nobilibus poſitas explicandas vix aliquid carptim ex hac immenſa librorum turba excerpi queat. Res mihi ab antiquis, & probatiſſimis hujus nationis ſcriptoribus, monimentiſque videtur omnino repetenda.

ARISTOTELES non tam caterorum ſcriptorum μεθοδικώτατος, quam harum rerum ſcientia praecipuus in libris ad Nicochlem diverſas nobilitati ſpecies, quas PLATO diſtinxerat, ad duo genera revocavit. *εὐγένεια μὲν οὖν ἐστὶν, ἔθνει μὲν καὶ πόλει τὸ αὐτόχθονας ἢ ἀρχαίους εἶναι, καὶ ἡγεμόνας τοὺς πρώτους ἐπιφανεῖς, καὶ πολλοὺς ἐπιφανεῖς γεγονέναι ἐξ αὐτῶν ἐπὶ τοῖς ζηλουμένοις· ἰδίᾳ δὲ, εὐγένεια ἡ ἀπ' ἀνδρῶν, ἢ ἀπὸ γυναικῶν, καὶ γνησιότης ἀπ' ἀμφοῖν, καὶ ὥσπερ ἐπὶ πόλεως τούς τε πρώτους γνωρίμους, ἢ ἀπ' ἀρετῇ ἢ πλού-*

τῳ

1 *De la Mothe le Vayer Traitè de la nobleſſe. Oeuvres tom.* II.

2 *Diſſertation ſur la nobleſſe. Oeuvres tom.* II.

3 *Traitè de la nobleſſe, de ſes differentes eſpeces, & de ſon origine.*

4 *Des diverſes eſpeces de la nobleſſe, de ſes titres, & preuves.*

5 *Origine & droits de la nobleſſe.*

6 *De Romanorum veterum nobilitate.*

7 *De Patriciorum origine, varietate, praeſtantia &c.* Addeſis JOH. ADOLPHVM FALCKIVM *de antiquiſſimis Civium Romanor. diviſionibus*; JOH. HERMANSSONIVM *Diſſert.* II. *de ordinibus Romanor.* FR. CAR. CONRADIVM *de Jure Quiritum*. CHRIST. AB EYBEN *de Ordine Equeſtri Romanor.*, ERN. M. CHLADENIVM *de Juribus Gentilitiis veterum*; JOH. SAM. LVPPIVM *de Jure imaginum apud veteres Romanos*; JOH. NICOL. FVNCCIVM *de Romanor. ex imaginibus nobilitate &c.*

τῷ ἢ ἄλλῳ τῷ τῶν τιμωμένων, καὶ πολλοὺς ἐπιφανεῖς ἐκ τοῦ γένους, καὶ ἄνδρας, καὶ γυναῖκας, καὶ νέους, καὶ πρεσβυτέρους. *Ac nobilitas quidem genti, & Civitati eſt, ſi indigenae, & antiqui ſint, & duces primi illuſtres, & multi illuſtres nati ſint ex ipſis in his, quae cadunt ſub aemulationem. Privatim vero nobilitas vel a viris, vel a feminis eſt, & legitima origo ab utriſque, & ut in Civitate ſi primi, & clari ſint, aut virtute, aut in divitiis, aut in alia earum rerum, quae honorantur, & multi illuſtres ſint ex genere tum viri, tum mulieres, tum juvenes, tum ſeniores*[1]. Nihil hic ferme tradidit, quod cum Praeceptoris ſui doctrina non conſentiat: a quo tamen in eo diſcrepat, quod PLATO nobilitatem quamdam familiae conciliari etiam putaverit ἀπὸ στεφάνων τῶν ἀγώνων, *abs coronis certaminum*[2], quas ARISTOTELES inter nobilitatis argumenta minime recenſuit. Ampliſſimis certe honoribus Graeci affecerunt athletas, qui in ludis victores evaſiſſent:

Κῦδος γὰρ νέῳ ἀνδρὶ φέρειν ἀπ' ἀγῶνος ἄεθλον,

Nam decorum erat adoleſcenti reportare certaminis praemium,

ut aiebat ille apud Q. SMYRNAEVM[3]. Nihilominus nec vacatio munerum, nec victus publica impenſa datus, nec primus in theatro accubitus, aliaque honeſtamenta, quae hiſce victoribus concedebantur, hominem vere, proprieque εὐγενέα efficiebant, ſed tantummodo ἔνδοξον, vel λαμπρότατον: quae quidem appellationes licet promiſcue aliquando uſurparentur, re ipſa tamen inter ſe differebant.

Igitur etſi divitiae, (quae tamen non eſſent recens comparatae, ſed a majoribus profectae) potentia, & auctoritas divitiis parta, ſummum in bello imperium, collata in patriam beneficia, ſolida virtus, & probitas honorem

---

1 *Rhetoric. lib.*I. *cap.*V.
2 Apud LAERTIVM *in Plat. lib.*IV.
3 *In Praetermiſs.* IV. *v.* 322.

rem gignerent, hominemque his fortunae muneribus praeditum ſupra vulgus attollerent; princeps tamen, & una omnium multo commendatiſſima nobilitas ea ſemper a Graecis eſt habita, quae a generis ſplendore, atque ab alta illuſtrium avorum ſerie proficiſceretur. Atque haec procul dubio fuit in Basso, qui idcirco ad omnem ambiguitatem, quae in verbo ἐυγενείας latere poterat, evitandam, ſtirpiſque praeſtantiam luculentius innuendam, φὼς ἐπικυδὴς ἀπὸ γένεος in epigrammate nuncupatur. Interim ex hoc eximio marmore illud nunc primum addiſcimus, inter familias, quae Epidauri nobilitatis laude floruerunt, hanc praecipue eſſe numerandam. Atque hinc in promptu erit nonnihil de Epidauriorum Reip. ratione, ac forma conjectare, quod alibi nequicquam requireretur.

Viros nobiles ad graviſſima quaeque Civitatis munera, rempublicamque gerendam imprimis admoveri oportere, jam ab initio rerum Atticarum ſanciverat Theſeus, qui a plebe Ἐυπατρίδας ſejunxit, eiſque poteſtatem fecit Magiſtratus adminiſtrandi [1]. Hanc legem confirmavit Solon, qui licet jus multitudinis, plebiſque cum jure *Optimatum* temperaverit, attamen negotiis ditiores, ac nobiliores praeficiendos eſſe ſtatuit [2], quandoquidem hos maxime intererat Remp. eſſe ſalvam. Vel quia, ut Plato dixit, plus conſilii, fortitudinis, integritatis ex viris generoſis expectari queat [3]. Quibus enim Athenis, ſi publica res in diſcrimen veniſſet, munera difficiliora commendabantur, niſi Συμμορίαις, illuſtrioribus ſcilicet, ac locupletioribus Civibus [4]? Quare licet populo liberum eſſe ἐκκλησίας indicere, in quibus ſumma videbatur eſſe illius auctoritas; nihilominus prima Reip. pars Senatus ipſe habitus ſemper fuit,

1 Plutarchus *in Theſeo*. Idem praeſtitiſſe Romulum in Repub. conſtituenda docet Dionysius Halicarnas. *Antiq. Rom.* II.

2 Aristot. *Politic. lib.* IV. *cap.* X. Plutarc. *in Solone*.

3 *De legibus lib.* III.

4 Demosthenes *contra Phaenippum*.

fuit, quod plebs a petendis honoribus lege Solonis arceretur. Facta quidem fuit plebi poteſtas omnium Magiſtratuum capeſſendorum, tum qui ſortitione, tum qui ſuffragiis creabantur, poſt victoriam Plateaenſem, in qua plebs hoſtem mira ſtrenuitate devicerat, atque fugarat [1]: emicuit tamen in populo ſumma moderatio, quippe qui a petendis Magiſtratibus, in quibus conſilium, atque dexteritas requirebatur, ſponte abſtinuerit, eoſque prehenſarit, unde quaeſtus rei familiari accedebat. Ita nobilibus primae ſemper partes Athenis fuerunt conceſſae, nec effraenis populi audacia, quae Optimates aliquando de publicis muneribus exturbavit, pretium, dignitatemque nobilitatis imminuit. Atque hanc omnium optimam regiminis formam amplexatae ſunt liberae Civitates, quarum potentia, ſplendor, reſque omnes diutius fuerunt incolumes. Compreſſa ubique fuit a lectiſſimis viris, qui etiam in ſtatu populari gubernationi praeficiebantur, fex Civitatis, ejuſque inconſiderata, ſaepe etiam improba agendi ratio. In quem finem creati a Laconibus *Ephori*, a Carthaginenſibus *Suffetes*, a Thebanis *Boeotarchi*, ab Aetolis *Praetores*, a Cretenſibus *Coſmi* &c., qui omnes plerumque uti opibus, ita clara ſtirpe valebant [2]. Quare vix ulla fuit urbs, aut Reſp., in qua licet populus honores, Dignitateſque conferret, atque ipſe unus Conſultis Senatus auctoritatem, vim, perpetuitatemque tribueret, de bello ineundo, aut de pace agenda decerneret, attamen viri inclytis editi atavis, nobilitate familiae conſpicui, commendatione fumoſarum imaginum ſpectabiles ſummo loco non haberentur.

Jam

---

1 PLVTARCHVS *in Ariſtide*.

2 Non me equidem fugit, Periclem apud THVCYDIDEM *lib.* II. improbare, ſi quiſpiam ob paupertatem a muneribus prohiberetur. Sed hoc unum eſt, quod maxime in Lacedaemoniis vituperat ARISTOTELES *Politic. lib.* II. *cap.* VII., inter Ephoros etiam pauperes fuiſſe admiſſos, quos, niſi aut generis nobilitas, aut ſumma virtus inopiam rei familiaris compenſaret, Reip. adminiſtrandae minus idoneos cenſet.

Jam vero Epidaurios eamdem de viris progenie inluſtribus alte animis imbibiſſe exiſtimationem, ex hoc perhonorifico titulo, quo Baſſi memoriam crediderunt honeſtandam, manifeſto perſpicimus. Equidem Argivorum Reſp. popularis maxime fuerat, & Oligarchiam, ſi qua alia averſabatur [1]. Nihiloſecius Epidaurus, ſplendida, ac famigerata illius pars, debitam Baſſi nobilitati laudem haud detrectavit. Qui eo liberius debuerat a Senatu, Populoque apud poſteros commendari, quo ille felicius omnia generoſae, privataeque nobilitatis in ſe uno collegerat argumenta. Nam praeter legitimam, inclytam, celſamque originem, quam a majoribus, Civitatis indigenis, ac primoribus ducebat, permultis beneficiis patriam iterato affeciſſe dicitur. Ad haec autem praeſtanda qui poterat animum adjicere, niſi frugi homo, & omnium virtutum praeſidiis munitus fuiſſet, fortunae bonis affatim abundaſſet, gratia, auctoritateque plurimum valuiſſet? Fuerant ergo in eo viro, quae ſub aemulationem cadunt, quae honorantur, quae admirabilitatem faciunt; atque adeo ea omnia, quae ex ſuperius recitata Platonis & Aristotelis doctrina hauſtam ſanguine nobilitatem alunt, ſuſtentant, amplificant, cumulant [2].

Quid vero ſi in hoc primo marmoris verſu alterum σφάλμα, incauta quadam unius litterae praetermiſſione, quadratario excidiſſe, ſuſpicari liceat, & pro Ἀλκίδυ fortaſſe Ἀλκείδυ legendum fuerit? Tum ſenſus ſic erit efferendus:

Ἀλκείδυ βάσσον γενεῆς ἐρικυδέα φῶτα,

Baſſum de Herculis progenie illuſtriſſimum virum.

Sane nihil ab inveterata, communique Argivorum ambitione diſſidet repetita ex Alcide proſapia. Nam quum regni

---

1 Hemmius *de Repub. Argiv.*
2 *l. c.* Vid. Humfredum *lib.* 1.


illius primores, qui longa annorum ſerie Argorum imperium tenuere, ſe Herculis ſatu prognatos jactarent, (unde exſtitit ampla illa *Heraclidarum* ſtirps) poſt regifugium quotquot illic fuere populares, qui non eſſent humili loco nati, ut his in rebus accidere ſolet, regiam, divinamque affectabant cum Heraclidis cognationem. Eo ferme modo, quo Lydii, & Macedones ſe Atyadarum, & Temenidarum ſtirpe creatos praedicabant. Facile autem in Argivorum animos illabi, inſtillarique poterat ſuperbae hujus originis opinio, quum Heraclidarum ſoboles tam late patuerit, atque in varias ſe ſe fuderit familias [1]. Forſitan & Baſſus gentilitium ſplendorem exinde accerſebat, aut ſe accerſere poſſe putabat, fueratque in Epidauriis ex iis, qui inter ſuos majores Alcidem, Heraclidaſque numerabant. Quae conjectura ſi a veroſimili minime abludere videbitur, merito auctor epigraphae ſicuti Baſſi laudes hinc exorſus eſt, ita illum **ἐρικυδέα** jure optimo nominavit: quo enim aptiore vocabulo praeſtantiſſima, & omnium maxima nobilitas, qualis eſt ab Heroum, Regumque prole petita, a poëta exprimi poterat? Quamvis autem primum epigrammatis verbum ita refingi poſſe nonniſi ingenio, & liberiori quadam divinatione affirmem; attamen quid quod in altero pſephiſmate eidem cippo inſculpto *Titi Statilii* nomen compareat, qui **Διοσκούρων ἀπόγονον**, *ex Caſtore & Polluce oriundum* [2] eſſe gloriabatur? Porro ex eo videtur, familiare fuiſſe illuſtribus Epidauri Civibus generis nobilitatem, antiquitatemque a Divorum ſanguine accire. Ergo ſi in monumento apud Epidaurios poſito pro **Ἀλκίδου** reſcribatur **Ἀλκείδου**, atque Baſſus ex Heraclidis ortus fingatur, id plane cum urbis

---

1 Vid. HIERONYMI HENNINGES *Theatrum Genealogic. Monarchar. Regum &c. ad An M.* 2109. REINERI REINECCII *Familiae Regum Argivorum. & Mycenaeorum*; FRERET *deſenſe de la Chronologie contre le Siſteme de* NEWTON *Novell. Obſerv.* §. V. FOURMONT *Reflexions ſur la ſucceſſion des anciens Peuples livre* III. *cap.* 18.

2 Fuſius hec dicentur §. VI.

urbis illius moribus conſentiet, ac ſimillimum in utraque inſcriptione erit laudis genus. §. II.



§. II.

ΒΟΥΛΗ
ΚΑΙΔΗΜΟΣΝΑΕΤΑΙ
ΖΑΘΕΗΣΕΠΙΔΑΥ
ΡΟΥ.

Βȣλὴ ϗ δῆμος νάεται ζαθέης Ἐπιδάυρȣ.

FVIT conſuetudinis Graecorum, ut urbes, quae ab aliquo Deorum non ſolum diligi, ſed etiam incoli, cuſtodirique viderentur, *Sacras*, ac ſanctiſſimas appellarent. Eaſdem vero hoc illuſtri titulo decorandas cenſebant, quoties Numen illud vel in vitam, lucemque illic veniſſe, vel coelo illuc delapſum oracula fundere, reſponſaque dare, vel fanum inibi celebritate, cultuque inſigne inhabitare, & a mortalibus exoratum precibus, votis, optatis propitium, pronumque favere putabatur. Hinc HOMERVS ubi Minervam inducit Pandarum alloquentem, hortantemque, ut Apollini λυκηγενέϊ Troiana in urbe Zelia hecatombem ſacrificet, ſacram eam vocat [1].

Οἴκαδε νοςήσας ἱερῆς ἄςυ Ζελείης

Vbi domum reverſus fueris ſacrae in Civitatem Zeliae;

quod illic Apollo maxime cultus, templum, oraculumque tum temporis haberet [2]. Rurſus ob editum a Latona in Delo Apollinem, ea Inſula *Sacra* dicitur a DICAEARCHO [3], & ARISTOPHANE [4], tum ἀνατιθεῖσα τοῖς Θεοῖς, *Diis conſecrata* ab ARISTIDE [5], a CALLIMACHO vero Νησάων ἁγιωτάτη, *Inſularum ſanctiſſima* [6] nuncupatur. Ac ſi recogitemus Apin, illum

1 *Iliad.* Δ. *v.* 103.
2 SCHOLIAST. *ad h. l.*
3 *In vita Graeciae.*
4 Θεσμοφόρ.
5 *Panathen.*
6 *Hymn. in Delum.*

illum Aegyptiorum Deum, ſtabulum in quo aleretur, thalamum inviolandum, ubi recubaret, aedem, in qua Antiſtites ſacris operarentur, gymnaſia ad ludos edendos [1] Memphi habuiſſe, continuo, clareque intelligimus, cur ea urbs ab AESCHYLO in Perſis [2] ſacrae nomine donetur. Parco aliis id genus vulgatis exemplis; obvium enim rei nummariae ſtudioſis eſt, hanc ampliſſimam, atque perhonorificam appellationem ſibi vindicaſſe diverſas Syriae imprimis, Phoeniciaeque urbes; tantumque laudis in ea poſuiſſe, ut a ſuis Typariis epitheton τῆς ἱερᾶς publicae monetae inſculpi fecerint; ſicuti Apamea, Damaſcus, Tyrus, Byblis, Sidon, Nyſa &c. Age vero, eccui potius Civitati praeclara haec laus erat concedenda, quam Epidauro, quae fuerat patrium Aeſculapii ſolum [3], atque ipſius praeſentia, oraculo, delubro, religione apud omnes tantopere celebrata? Porro ſi Claudius Imp., TACITO auctore [4], *ſacram* fore declaravit Coum ob artem ſalutarem illuc ab Aeſculapio importatam, quis non perſpiciat, potiore quodam jure hanc nuncupationem ſibi depoſcere Epidaurum? Re quidem vera ἱερὰν appellavit PLVTARCHVS [5]; ſed diſertiſſimus noſtri epigrammatis auctor quum tanta, ac tam certa, explorata, magnifica τοῦ ἱεροπρεποῦς argumenta in ea Civitate perſpicue deprehenderet, eamque hoc in genere ſupra caeteras quaſi principatum tenere videret, ad veram, propriamque illius laudationem minime ſufficere exiſtimavit vocabulum, quod cum aliis eſſet commune, ſed ζαθέην *valde divinam* dixit; ratus hoc uno tantum elogio ſe poſſe Epidauri gloriam adaequare.

Fuerat illic apud Senatum, Populumque publicos honores decernendi auctoritas; utriuſque enim conſenſione titu-

1 AELIANVS *de Animalib. lib.* XI. *cap.* X. Confer quae doctiſſimus JABLONSKI adnotavit, *Pantheon Aegyptior. part.* II. *lib.* IV. *cap.* II.

2 *Verſ.* 36.

3 PAVSANIAS *l. c.*

4 *Annal. lib.* XII. *cap.* LXI.

5 *In Pericle.*


titulus, & imago, Baſſo decreta dicitur. Atque hic ſentio me in eam orationis partem eſſe delapſum, in qua difficilis admodum nodus objicitur expediendus. Siquidem tanta eſt in hac τιμητικῶν inſcriptionum claſſe formularum varietas, ut niſi ſolerter quaeratur, pernoſcaturque germana illarum origo, nihil firmi, certique de diverſo earumdem ſignificatu conſtitui queat. Et ſane, aliae ſunt, quae *Senatus Conſulto* ψηφίσματι βȣλῆς decretae, dedicataeque fuerunt. Aliae ſunt quas *Populus* ὁ Δῆμος, ſuo jure viris inluſtribus cenſuit eſſe ponendas. Aliae concordi utriuſque voluntate βȣλῆς, καὶ Δήμȣ, nonnumquam etiam γερȣσίας ſuffragio marmori conſignatae dicuntur. Nonnullae demum ſunt, quibus *Civitas* aliqua ἡ πόλις vel ſtudium, gratumque animum erga beneficos homines propalam teſtari, vel debitam virtuti alicujus ſignificationem exſolvendam deliberavit. Periclitemur, ſi placet, ex antiquis ſcriptoribus, iiſque maxime exemplis, quae noſtra Peloponneſia monumenta ſuppeditant, luculenter, vereque elicere, qui ſit harum inſcriptionum ſenſus.

Ac primo illud extra quamcumque dubitationem eſto, omnia ejus generis epigrammata ad liberas Civitates pertinere. In quibus etſi varia eſſet regendi, adminiſtrandique imperii forma, atque ratio, ubique tamen *Senatus* princeps ſalutis, mentiſque publicae interpres habebatur, utpote qui ad optimatum tyrannidem, populique dominationem aequilbrio quodam temperandam fuerat inſtitutus [1]. Quare in omnibus, quae eſſent bene moratae, Civitatibus acies auctoritatis a populo Senatui concredebatur. Ergo quis addubitet, potuiſſe publici monumenti honorem indulgere, vel imperare, ſi quis jure rogaſſet, aut glorioſis, memorandiſque factis eſſet promeritus? Sed ejuſmodi inſcriptiones, quae βȣλῆς ψήφισμα praeſeferunt, rurſum in duas claſſes tribui debere exiſtimo. Si enim infinita illa veterum epigrammatum Graecorum, quae ſuperſunt, ſeries

1 PLATO *de Legibus lib.* VI.

ries diligenter conferatur, duo intelligimus: aliquando Senatum ſponte ſua ſtatuam, vel titulum cuipiam decreviſſe, ut laboribus, ac virtutibus praemia deferret; aliquando vero alicujus petitu honorem hunc privatis hominibus induliſſe. Quoniamque par erat, Senatus juſſum a mera permiſſione lemmatis, formuliſque diſtingui, ad priorem claſſem refero monumenta, quae **Ψηφίσματι βȣλῆς** poſita dicuntur, ad alteram, quae **κατὰ βȣλῆς ψήφισμα** a quopiam dedicata fuere. Prioris generis eſt noſtra haec inſcriptio; licet enim acceſſerit populi Epidaurii ſcitum, tamen duae illae notae compendiariae inferius ſculptae, **Φ. Β.** indicio ſunt, Senatum praeſertim Baſſo honorarium monumentum decreviſſe. Alterius vero ad manus eſt exemplum, ſeu quod ajunt, **οἰκόθεν μάρτυρ**, in lapide Nicopolitano Cimelii Naniorvm, cujus fidiſſimum apographum damus.

Qua



Qua ratione interpungenda ſit inſcriptio, quae litterae evanidis, aut prorſus exeſis characteribus ſuffici debeant nemo eſt, qui ſtatim non intelligat.

Κλαύδιαν . Γλυ- κεράν . τὴν . ἑαυ- τῆς . θυγατέρα Μέμμια . Κλεόπα- τρα . κατὰ . τὸ . τῆς βȣλῆς . Ψήφισ- μα .	*Claudiam*. *Gly-* *ceram* . *filiam* . *ſuam* *Memmia*. *Cleopatra* (Mater) *Secundum* . *Senatus* . *decre-* *tum* (hoc monumento honoravit.)

Duplex utrique feminae nomen erat, alterum Latinum, quod procul dubio a Patrono acceperant, cujus beneficio quaſi in Romanorum migraverant ſocietatem, alterum patrium, & Graecum, illis natali die inditum. Difficile dictu eſt, quid tam praeclare egerit Claudia Glycera, ut Senatus Nicopolis matri illius Memmiae Cleopatrae decreto ſuo facultatem fecerit filiae memoriam publico, ſollemnique ritu celebrandi: qui honor a Magiſtratibus concedi ſolebat viris φιλοπατρίδαις, πολιτευταῖς, ἐυεργέταις &c. feminis vero tribuebatur, ſi inſigni aliquo Sacerdotio cum laude fuiſſent defunctae [1], vel ob ipſarum in patriam liberalitates [2]. Atqui neutrum iſtorum noſter lapis commemorat; igitur relinquitur conjectandum, Senatum permiſiſſe ſic honeſtari Claudiae nomen ἀρετῆς χάριν: hanc enim ob cauſſam monumenta publica frequentiſſime decernebantur [3].

Quo caeteroquin in lapide licet nulla ſe prodant lamentabilis, moeſtique funeris indicia, profecto non auſim omnino repudiare conjecturam peritiſſimi Archaeologi J. B. Passerii, qui omnem pene aetatem his egit in litteris, quique

1 Ejuſmodi eſt Pſephiſma Senatus, Populique Palenſium, quod retulimus in priori volumine *pag.* 94. Rurſum monumenta, quae indicavimus *pag.* 105.

2 Mvratorivs N. T. *tom.* II. DLIX. I.

3 Vide inferius §. VI.

que hanc inſcriptionem in ſepulcralibus forſitan numerari poſſe ſuſpicatur [1]. Equidem praeclarum fuerat in propriis fundis, agriſve gentilitium, hereditarium, atque cum majoribus commune ſepulcrum habere [2]; ſed multo praeclarius, atque laudabilius in locum publicum, conſpicuum, & in oculis Civitatis poſitum efferri, ibique tumulari, quod nonniſi Magiſtratus juſſu, permiſſuve viris, feminiſque admodum illuſtribus locus ſepulturae illic concederetur. Athenis *Ceramicus* ad id fuerat delectus, atque deſignatus [3]. Magnetes [4], Corinthii [5], Antiochenſes [6] in foro ſepeliebant, qui mortem pro patria oppetierant, vel magnam famam recte factis collegerant: ἔθαψαν ἐν τῇ ἀγορᾷ. Romani pariter in Campo Martio μνήματα κατεσκεύασαν ἀνδρῶν, καὶ γυναικῶν [7]: quo in loco cum Imperatorum, Conſulumque cineribus [8] Juliae Caeſaris F., Pompeiique uxoris oſſa compoſita, inque mortualem urnam fuiſſe conjecta legimus [9]. Ejuſmodi autem honor eo putabatur honeſtior, atque optabilior, quo, uti diximus, publici monumenti locum nemo adipiſceretur, niſi Romani, vel municipalis Senatus decreto intercedente. Eſt quidam Graecus in hanc ſententiam lapis, quo oſtenditur Eucratidae Rhodio Philoſopho Epicureo, & Piſidami F. locum ſepulturae fuiſſe datum a Senatu Brunduſinorum [10].

1 *Oſſervazioni &c. ſez.* II. *pag.* 19.
2 CICERO *de Off. lib.* I.
3 SVIDAS *h. v.* PHILOSTRATVS *in vit. Gorgiae*.
4 PLVTARCHVS *in Themiſtocle*.
5 XENOPHON *Rer. Graecar. lib.* VII.
6 TACITVS *Annal. lib.* II.
7 STRABO *lib.* V.
8 *De Pompejo* PLVTARCHVS; *de Sylla* APPIANVS *lib.* I. de Druſo SVETONIVS *in Claudio*; de Hirtio, & Panſa COSS. LIVIVS XXX.
9 DIO CASSIVS *lib.* XXXIX. Publicae ſepulturae honor Veſtalibus etiam tributus perhibetur. V. SERVIVM *ad Aeneid.* XI.
10 V. KIRCHMANNVM *de funer. lib.* II. *cap.* XXV.

ΕΥΚΡΑΤΙΔΑΣ . ΠΙΣΙΔΑΜΟΥ . ΡΟΔΙΟΣ
ΦΙΛΟΣΟΦΟΣ . ΕΠΙΚΥΡΕΙΟΣ . ΤΟΝ . ΤΟΠΟΝ
ΤΗΣ . ΒΡΟΥΝΤΕΣΙΝΩΝ . ΒΟΥΛΗΣ
ΕΙΣ . ΤΑΦΟΝ . ΨΗΦΙΣΑΜΕΝΗΣ .

Itaque dubitari ſimiliter poterit, Memmiam Cleopatram a Senatu Nicopolitano impetraſſe, ut filiam ſuam Claudiam Glyceram publico, frequenti, ac celebri loco terrae mandaret, aut ſepulcro conderet: atque adeo formula, *κατὰ τὸ βυλῆς ψήφισμα* tum reſpondebit Latinae: *locus datus decreto Decurionum &c.*

Nihilominus graviſſima ſuccurrit ratio, qua haec omnis conjectatio excludi, labefactarique poſſe videtur. Nam Senatus *ſtatuas multis, ſepulcra paucis decernebat* [1]; atque ex his ipſis, quas retulimus, hiſtoriis perſpicuum fit, ſepulcri publici honorem nonniſi urbium conditoribus, magniſque ducibus, & ſtirpe antiquiſſima procreatis fuiſſe tributum. Certe Servius Sulpitius, qui Achaiae, & reliquis regionibus cum imperio praeerat, ab Athenienſibus obtinere haud potuit, ut Marco Marcello defuncto etſi ingentis nominis viro tribueretur [2]. Credibilius multo proinde eſt, Senatum Nicopoleos inſcriptionem honorariam, crebro, multiſque apud Graecos ſcitam, & decretam vel, ſi placet, imaginem potius, quam locum ſepulturae indulſiſſe huic feminae, quam nec illuſtrem aliquam familiam ſanguinis propinquitate contigiſſe, nec tam inſigniter de Nicopolitanis fuiſſe promeritam conſtat, ut honeſtamentum fortibus, ſapientibus, ſummiſque viris reſervatum, raroque conceſſum adipiſceretur. Niſi ergo omnia me fallunt, mea quidem interpretatio paullo ante propoſita videtur ad veritatem propenſior. Si vero cuipiam minus certa videri ea poterit, nemo profecto in dubium revocabit, nunc primum hoc in marmore obverſari

1 Cicero *Philipp.* IX.
2 Idem *Familiar. Epiſtolar. lib.* IV. *ep.* XII.

ſari oculis litterae Σ delineationem hac nova, atque inſueta forma ⌧ expreſſam. De qua nonnihil eſſet dicendum, niſi moneret me ſuſcepta operis partitio, eſſe iſthaec ad aliud tempus differenda, atque in diatribe *de Monumentorum Peloponnenſium ſcriptura* [1] convenientius ponderanda. Interim non contemnenda ſuſpicio injecta mihi eſt, illuſtris hujus feminae imaginem fortaſſe referre ſignum marmoreum Nicopoli, ubi inſcriptio detecta fuit, adinventum, atque a Cl. Nanio redemptum.



Alt. palm. Rom. 3 9.
Ex Nicopoli [illegible]

Concinna capillorum compoſitio, qui redimiculo, elegantique plexu ſupra frontem revinciuntur, profecto non Sacrificulam, ſed cultam puellam demonſtrat. Multo magis de hac ſtatua ſic exiſtimandum videbitur, ſi *orbicularem pyxidem*, quam manu tenet, intueamur. Porro Juriſconſultiſſimus Pavllvs *in mundo muliebri* recenſuit the-

1 Ad calcem hujus II. Voluminis.

cas, vaſcula, buxides, ſive pyxides ad armillas, gemmas, unguenta, ſpeculum recondendum [1]. Ac ſpeculum ſua theca incluſum in hoc ſigno artificem deſignare voluiſſe, eſt mihi veroſimillimum. Nam quid exploratius ſpeculis geſtatoriis, quae ſecum feminae circumferebant, ut ea conſulerent, ac ſi quid minus comptum conſpicerent, poſſent ſubinde emendare [2]? Erant autem ejuſmodi ſpecula *δίσκοι* ex perpolito, levigatoque chalybe, aut metallo, qui capſula rotunda immiſſi adſervabantur [3]. Jamvero ſiç illis aſſimilis eſt hujus pyxidis ſpecies, ut ſymbolum a Statuario puellae datum, nonniſi illam delicatis mulieribus caram ſupellectilem, luxuſque cultiſſimi inſtrumentum portendere videatur. Nec ſane dedecebat Glyceram eo habitu effingi, quo a Graecis artificibus puellae, ac Matronae ingenuae, & honeſtiſſimae crebro repraeſentabantur [4]. Sed haec nonniſi cunctabundus, divinandoque propono. Jam ad eam ſermonis partem, ex qua egreſſi ſumus, revertamur.

Alia erant pſephiſmata, quae a populi Scitu omnem vim, auctoritatemque mutuabantur. Inter Gytheatarum monumenta, poſt Epidauriorum a me producenda, primum quod occurrit, poſtulante populo, poſitum, dedicatumque fuiſſe conſpicitur. Quamvis tamen populus alicubi rerum arbiter eſſet, probabile admodum fit, penes ordinatiſſimas Civitates obtinuiſſe vetus Atticorum inſtitutum, cujus potiſſimum meminere DEMOSTHENES [5], & LIBANIVS [6], ut

---

1 *Sententiarum Receptarum lib.* III. *cap.* 6. Eruditi Juriſconſulti illud *buxides* emendandum eſſe *pyxides* conſentiunt.

2 Vid. SCHEFFERVM *ad Phaedrum lib.* III. *cap.* IX. PAVLLVM THEODOR. CARPOVIVM *de Mundo Muliebri Diſſert.* I. §. X.

3 Lectu digniſſima ſunt, quae de veterum Speculorum materia, figura, thecisque obſervarunt CL. CARY *Diſſertazioni dell'Accadem. di Cortona tom.* VII. *Diſſert.* II. Itemqte doctrinae Antiquariae princeps COM. DE CAYLVS *Recueil d'Antiquités tom.* III. *ad Tab.* LXXXIX.

4 Fuſius id docebimus in IV. operis parte, quum ſepulcralia anaglypha Muſei NANII explicabimus.

5 *Contra Androtionem*.

6 *In Androtianam*.

ut plebs nihil publico nomine fieri mandaret abſque Senatus *προβȣλεύματι*. Si vero mutuis conſiliis in unam, eamdemque ſententiam conſpiraret Senatus, Populuſque, tantum virium, momenti, atque ponderis decreto hinc accedebat, ut proinde *κυριότερον* [1] evaderet. Sed paullo obſcurior formula illa, qua inſigniuntur pſephiſmata Nyſaeorum, & Stratonicenſium in collectaneis Richardi Pocokii [2], **Ο. ΔΗΜΟΣ. ΚΑΙ. Η. ΒΟΥΛΗ. ΚΑΙ. Η. ΓΕΡΟΥΣΙΑ**. Quid inter ſe diferre dixerimus *βȣλὴν*, & *γερȣσίαν*, quae verba pro Senatu promiſcue accipi poſſunt? Huic formulae explicandae, ſolvendoque nodo plurima mihi lux affulgere videtur èx Aeschinis loco, cujus teſtimonium attuliſſe juverit. Is itaque de Lacedaemoniorum Magiſtratibus verba faciens inquit: *τὴν τῆς ἡλικίας αὐτῶν ἐπωνυμίαν ἀρχὴν μεγίϛην εἶναι νομίζȣσιν*, *ſummum Magiſtratum denominatione aetatis ipſorum* (Senum) *cohoneſtandum exiſtimant* [3]. Hanc ipſam Laconum politiam crediderim retinuiſſe Nyſam, atque Stratonicen, ut Magiſtratum, cui ſupremam poteſtatem commendarant, *γερȣσίαν* appellarent.

---

1 V. Demosthenem *in Timocratem*.

2 *Inſcriptiones Antiquae Graecae ſect.* VI. *&* VII. Non magni feciſſem Pocokii auctoritatem, niſi ſimilia epigrammata in aliis emendatioribus libris frequenter occurrerent. Nam ubi primum ad illius mox indicata Collectanea oculos adjeci, e veſtigio animadverti, aequiſſimum de illis judicium tuliſſe Actorum Lipsiensium deſcriptores (*Acta Eruditor. Octobr.* 1753.) his verbis: „Si quis autem clementer de Pocokio pro„nunciare velit, aſſeverabit, earum inſcriptionum, quas ipſis e mar„moribus a ſe jactat exſcriptas, oculis luſtraſſe, aut perpaucas, ſed „futilium chartarum excerpta pro inventis ſuis venditare; aut certe fa„mulis ſuis exſcribendarum de marmoribus inſcriptionum curam de„mandaſſe. Fatendum propterea, hoc libro inſpecto, Pocokium eſſe „hominem omni Graecae linguae & Graecorum marmorum legendo„rum uſu, atque peritia carentem, qui tam informe, & undique „maculoſum opus edere auſus fuit „. Quod adhuc luculentius patebit, ſi Pocokii Odoeporicon patrio ſermone exaratum (*Reiſe nach Egypten &c.*) paulliſper manu verſabimus: in eo quippe non Graecae modo, ſed Latinae etiam inſcriptiones mendoſiſſime inſcriptae ſunt.

3 *In Timarchum*.


rent. Ergo qui *βȣλῆς* nomine donatur, videtur illic fuiſſe magiſtratus inferior, qui conſilio juvaret, non vero ad deliberationem adhiberetur. Vt autem populum, Magiſtratuſque omnes in honoribus cuipiam decernendis conſenſiſſe demonſtraretur, ea formula (quae fortaſſe ex legibus Lycvrgi profluebat) recepta fuit apud Civitates, quae hanc Laconicam conſuetudinem amplexandam duxerunt.

Denique ſunt pſephiſmata nomine *Civitatis* τῆς πόλεως notata, atque diſtincta, velut illa Hermionenſium [1], Aoeatarum [2], Gytheatarum [3], quae nos ipſi hoc in opere evulgamus: quo quidem nomine univerſam civilem ſocietatem deſignari, Plato exiſtimavit [4]. Sequitur ergo ejuſmodi decreta omnium Ordinum approbatione, ſententiaque fuiſſe lata. Caeterum ea vox πόλις populum tantummodo complecti aliquando videtur [5]. Atque his teſtimoniis, & exemplis, quod erat propoſitum, me eſſe exequutum atque adeo veroſimillimam formularum, quibus monumenta honoraria inſigniri, ac diſtingui ſolebant, interpretationem tradidiſſe confido.

§. III.

---

1 Retulimus *vol.* I. *pag.* 101.
2 Vulgamus §. v. hujus Comment.
3 Inferius §. VII.
4 *De Repub. lib.* II.
5 Mvrat. dxlix. I.



Ex Aere.

§. III.

ANTEΥΡΕΡ
ΓΕΣΙΗΣΤΗΝΠΟΛ΄
ΛΑΚΙΔΩΚΕΠΟΛΗΙ

Ἀντ᾽ ἐυεργεσίης, τὴν πολλάκι δῶκε πόληι.

NIMIRVM tanta ſemper extitit beneficiorum vis, ac tantum potuit eorumdem recordatio, ut ſi in ingenuos, urbanos, moratoſque populos fuerint collata, ſenſerint illi continuo, tacita quadam naturae voce admonente, nihil eſſe, quod viris beneficis non debeatur, nullum erga illos officium praetermittendum, libenterque iis eſſe concedenda ea omnia honeſtamenta, quae plurimum dignitatis, atque exiſtimationis in civitate habere cenſentur. Vivit ad Macedonici nominis immortalitatem, vivetque quandiu virtuti ſuus honos manebit, inſigne populi illius facinus poſt captum, interfectumque a Gallis Ptolemaeum. Quum de novo Rege deſignando ageretur, qui Macedoniam illuſtrium heroum orbitate, & magna, funeſtaque clade afflictam erigeret, ac ſuſtentaret, *multis nobilibus regnum Macedoniae affectantibus, unus Soſthenes ob virtutis beneficia, licet ignobilis, praepoſitus fuit* [1]. Macedones aemulati ſunt Epidaurii, qui ut Baſſi merita remunerarentur, ſi minus gentis ſuae imperium illi conceſſerunt, gratum, memoremque animum praeclara teſtificatione ſignificarunt. Sed in honoribus demerendis Soſthenem certe antecelluit Baſſus, tum quod ſuam in patriam caritatem non ſemel demonſtraverit, tum quod beneficentiam cum generis nobilitate conjunxerit. Equidem Graecis civitatibus frequentiſſimum id fuerat, ut in publicis monumentis acceptorum beneficiorum memoriam injicerent, ſicque optimam Civium ſuorum voluntatem immortalitati com-

1 JVSTINVS *Hiſtoriar. Philippicar. lib.* XXIII. *cap.* V.

commendarent. Eam ob rem marmoreis tabulis epigrammata inſculpi faciebant, quae eſſent apud poſteros non tam cito intermoritura ἐυγνωμοσύνης argumenta. Pleni omnium libri, plenaeque omnium voces laudibus Athenarum, quae in omnibus humanitatis officiis caeteris Graeciae urbibus videntur exemplo fuiſſe. Quotus autem quiſque eſt, qui neſciat, Areopagiticum Senatum, Populumque Athenienſem ſuorum Ducum, Archontum, Heroum, Proconſulum etiam nomina ἐυνοίας, ϗ ἐυεργεσίας ἕνεκα, columnis, aut cippis inſcripta [1] cum laude ad ſeros nepotes tranſmiſiſſe? Quid nunc referam Lampſacum, Sardes, Mylaſam, Spartam, Thebas, Megaram, Delum, Ancyram, Smyrnam, Thyatiram [2], aliaſque maximas, & opulentiſſimas urbes, quarum monumenta Atticis aſſimillima ſunt? Dies me deficiat, ſi velim numerando percurrere antiquiſſimas quaſque Civitates, & perquam nobiles, quae viros beneficentia in patriam inſignes inſcriptione cohoneſtarunt. Quod ſi multae, & ingentes extitiſſent τῶν ἐυεργετῶν liberalitates, eaſdem pariter memorabat epigraphe [3]. Ambitioſe etiam, ac magnifice decantabatur illorum progenies, qui ἔυνοιαν quaſi hereditaria munificentia patriae praeſtabant. Ita Mylaſae populus Menandrum Euthydemi filium **ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ ΤΗΣ ΠΑΤΡΙΔΟΣ ΚΑΙ ΕΞ ΕΥΕΡΓΕΤΩΝ ΓΕΓΟΝΟΝΤΑ**, *patriae benefactorem & ex benefactoribus progenitum* [4] nuncuparunt. Tandem ut maximam quam poterant referrent gratiam, viris illis beneficis ſuperos propitios adprecabantur, atque illorum fortunas, liberos, reſque omnes Diis commendatiſſimas eſſe cupiebant. Huc pertinet lapis Graecanicus, quem Venetiis apud Cl. Apoſtolum Zenum an. 1746. exſcripſimus.

Α. ΠΟ-

1 WHELER *Voyage tom.* I I.

2 *Marmor. Oxon.* XXIX. MVRATOR. N. T. *Claſs.* VIII. SPONIVS *Miſcell. Eruditae Antiquit. ſect.* X.

3 MVRAT. *ibi*. Senatus Populuſque Megarenſis M. Aemilium Saturninum vocat ΜΕΓΑΝ ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ.

4 WHELER *l. c.*


Α. ΠΟΛΙΣ . ΜΑΡΚΟΝ . ΚΑΛΗΓΑΙΟΝ . ΒΥΒΛΟΝ
ΤΟΝ . ΠΑΤΡΩΝΑ . ΚΑΙ . ΕΥΕΡΓΕΤΑΝ
ΕΡΜΑΙ . ΚΑΙ . ΗΡΑΚΛΕΙ .

Interdum etiam coelites univerſos obteſtabantur, ut meliora ferrent, juvarentque Civem, qui pro populi ſalute praeclara geſſerat. Sicilienſes Andronem Traſii filium **ΕΥΕΡΓΕΣΙΑΣ ΕΝΕΚΕΝ ΘΕΟΙΣ ΠΑΣΙΝ** protegendum tradidere [1]. Epidauri ergo, qui multis Baſſi benefactis, magniſque muneribus ſe auctos, obligatoſque ſentiebant, monumentum proſtare voluerunt, in quo illius **εὐγένεια**, atque **εὐεργεσία**, quam **πολλάκι** civitati exhibuerat, in omnium oculis obverſaretur; ut qui tanti hominis **εἰκόνα** a Senatu, Populoque decretam intuerentur, grati animi laudem Epidauro tribuerent, ac de ea praedicarent:

Hic bene apud memores veteris ſtat gratia facti.

P.III. E §.IV.

1 GVALTHERIVS *Antiqu. Tabul. Siciliae pag.*47.



Ex Aere. *E Peloponeso 1706*

§. IV.

ΕΙΚΟΝΙ ΤΗΔΕΓΕΡΗΡΑΝ

εἰκόνι τῇδε γέρηραν.

VT primum poſitis nugari Graecia bellis
Coepit, & in vitium fortuna labier aequa,
Nunc Athletarum ſtudiis, nunc arſit equorum
Marmoris, aut eboris fabros, aut aeris amavit [1].

Ad hanc temporum periodum, qua tranquillior, opulentior, atque cultior evaſit Graecarum rerum ſtatus, referri certe debet ingens illa cujuſvis generis ſignorum copia, quibus templa, aedes, domus, fora, theatra, compita, horti, viae, omnia denique loca affatim redundare coeperunt. In hac propemodum immenſa ſtatuarum coacervatione, ut de ſimulacris, atque imaginibus, quae ſpeciatim fortibus, & inluſtribus viris ob egregia illorum merita, ob legationes, expeditioneſque feliciter peractas, aut ſingularia in patriam, urbemque aliquam conlata beneficia ab ipſis civitatibus ponebantur, pro ſuſcepta commentandi ratione nunc diſputem, locus hic quaſi ſuo jure a me repetere videtur. Sed uber adeo, & copioſa, ac propemodum infinita rerum dicendarum hic mihi enaſcitur ſeges, ut niſi orationem certis terminis definiam, atque concludam, neceſſe ſit, illam plus juſto diffundi, atque explicari, Quem enim exitum inveniat, ſi ea omnia attingat, quae homines eruditi, perſtudioſique antiquitatis FRIGELIVS [2], MVLLERVS [3], HEKELIVS [4], RAISANTIVS [5], LEMEVS [6], REICHEVS [7], GRONOVIVS,

1 HORATIVS *Ep.* II. I.
2 *De Statuis Illuſtr. Romanor. liber ſingularis.*
3 *De Statuis, quibus priſci Romani bene meritos honorabant. libri* XI.
4 *Diſſert.* II. *de Statuis.*
5 *Journal des Scavans ann.* 1689. *pag.* 193.
6 *Traité des Statues.*
7 *De Coloſſis, & jure Coloſſorum.*

NOVIVS [1], AINSWORTHIVS [2], PLOETTNERVS [3] in ſuos libros longa admodum aggeſtione convexerunt? Quare ea ſolummodo dicendo perſequar, quae aut ad accuratam hujus tituli explanationem facere videntur, aut novitate ingenuum quoddam oblectamentum lectorum animis injiciant.

Si in cujuſvis rei perveſtigatione a perſpicua vocum ſignificatione exordiri par eſt, equidem ſubtilius diſtinxiſſe mihi videntur ſcriptores, qui ſignis, & imaginibus pro archetypi varietate varia prorſus nomina indiderunt, atque affirmarunt, εἴδωλα fuiſſe dicta ſimulacra, quae *Diis* dedicabantur, quae *Heroibus* ξόανα, quae *Regibus* ἀνδριάντες, quae *ſapientibus* εἴκηλα, quae *benemeritis* βρέτεα [4]. Ita promiſcue a Graecis uſurpata fuiſſe video iſthaec nomina, ut eae differentiae non ſatis firmo, conſtantique nitantur principio. Atque haud ſcio, quorumnam eſſe dicent ea ſigna, quae ἀγάλματα, ϛῆλαι, ἀπεικάσματα εἴδεα, ἱδρύματα, εἰκόνες, ἐκτυπώματα, ϛηρίγματα, ἰνδάλματα nominabantur. Deorum ne, an hominum eſſe reponent? Regum, aut ſapientum appellabunt? Mittamus igitur inanes ejuſmodi diſtinctiunculas, futileſque λογομαχίας. Porro imagines viris clariſſimis decretae, quocumque nomine libeat illas appellare, tamquam dignum virtuti praemium, & inſigne honeſtamentum habebantur, de quo eſt illud M. TVLLII: *qui honor maximus videtur, non enim ſolum datur propter ſpem temporum reliquorum, ſed pro meritis ampliſſimis redditur* [5]. Quoniamque omnes memoriae, laudiſque immortalitatem appetimus, nemo erat gloriae cupidus, qui ſtatuae honorem avidiſſime non quaereret, atque aliquid praeclari non auderet, ut illum nanciſceretur. Merito enim, vereque dixit auriloquus Pruſaeenſis Orator: τί γὰρ ἐπίγραμμα,

1 *De Imaginibus, & Statuis Principum Diſſertatio Philologica.*
2 *Monumenta* KEMPIANA *part.* I.
3 *Meditatio de Statuis Equeſtribus.*
4 MVLLERVS *lib.* II. *cap.* VII.
5 *Philippic.* V.

μα, ϗ τὸ χαλκῦν ἱςάναι μέγα δοκεῖ τοῖς γενναίοις ἀνδράσι· ϗ μισθὸς οὗτος ἄξιος τῆς ἀρετῆς τὸ μὴ μετὰ τῦ σώματος ἀνῃρῆσθαι τὸ ὄνομα : nam inſcriptio, aeneamque habere imaginem magnum eſſe videtur viris generoſis, & digna virtutis merces, non una cum corpore perire nomen[1]. Accedebat mutua Graecarum urbium invidentia, atque aemulatio, quarum unaquaeque, ut homines praeſtantes ubertim edidiſſe oſtentaret, ſimulacra poni paullo liberius patiebatur. Privata deinde hominum ambitio, qui ſe ad Remp. contulerant, qua officiis, qua clientum factione hunc ipſum honorem aucupabatur. Quo factum eſt, ut apud Graecos praeſertim tantopere excreverit ſtatuarum numerus. Saepe quidem nonniſi ab obitu decernebatur Civibus Reip. amantiſſimis, qui aut vitam pro patria ſtrenue profuderant, aut ad extremam uſque ſenectam patriae ſaluti, commodis, utilitati ſtuduerant. De his recte Cicero: *ſtatua mortis honeſtae teſtis erit*[2]. At quo non rapit hominem caecus amor ſui, niſi ferocitatem inſani appetitus ratio, conſilium, religio reprimat, frangat, diminuat! Immoderata honorum cupiditas, narrante Dione, pleroſque adduxit, ut hanc lucem cum imagine commutare nequaquam veriti ſint, emorique affectaverint, ut in aere, aut marmore apud poſteros viverent: *πόλλοι ϗ διὰ ταῦτα ἤδη τεθνήκασιν ὅπως ἀνδριάντος τύχωσι : multi etiam propter haec mortui ſunt, ut ſtatuam nanciſcerentur*[3]. His tamen, quos vera, ac ſapiens animi magnitudo, ingentiaque facta ſupra caeteros evexerant, atque in ſummam Senatus, Populique gratiam induxerant, imago ponebatur, dum in vivis agerent, & adhuc, quem dederat curſum natura, tenerent. Ac ſane in laudabilibus Hadriani geſtis recenſetur a Xiphilino, quod viris ingenio praeſtantibus, quorum perfamiliari utebatur conſuetudine, tum qui vita exceſſerant, tum qui in mortalium numero erant, honorem ſtatuae tributum volue-

1 Dio Chryſostomvs *Orat.* XXXI. *ſive Rhodiaca de Statuis.*
2 *Philippic.* IX.
3 *L. c.*

fuerit. εἰκόνας πολλοῖς μὲν ἀποθανοῦσι, πολλοῖς δὲ καὶ ζῶσιν ἐς τὴν ἀγορὰν ἔστησεν, *imagines pleriſque eorum mortuis, pleriſque etiam vivis in foro poſuit*[1]. Sed quia de urbe Graecienſi ſermo eſt, non ab his, quae Romae, ſed in Graecia uſuveniebant, exemplum multo accommodatius petamus. Apvleivs quum Hypatam Theſſaliae veniſſet, atque in annuis Civitatis illius ſollemnibus vel nolens primas partes egiſſet, tanti id viſum fuit Hypateno Magiſtratui, ut exactis omnibus, Apulejum ſic affatus ſit: *ac tibi Civitas omnis pro iſta gratia honores egregios offert. Nam & patronum ſcripſit, & ut in aere ſtet imago tua decrevit*[2]. Jamvero etſi commentitia eſſe conceſſerim, quae Apulejus ſibi per μεταμόρφωσιν eveniſſe narrat; nihiloſecius certum eſt, ſuis in libris Graecorum inſtituta, moreſque adamuſſim pinxiſſe. Sequitur ergo uſitatum fuiſſe, ut in Graecis civitatibus eorum, quos illae εὐεργέτας agnoverant, ſibique in patronos adſciverant, aerea ſtatua exſtaret. Quam ſi Baſſo adhuc viventi Epidaurios poſuiſſe exiſtimavero, honorem illi datum dixero, quem pro bene factis, ſuſceptaque urbis tutela poterat a Senatu, populoque repetere.

Sed vox illa εἰκὼν, qua auctor epigrammatis uſus eſt, quum diverſos intellectus habeat, ambiguitatem affert plurimam de imagine ab Epidauriis Baſſo decreta; dubitari ſiquidem poteſt, num forte coloribus tantummodo expreſſa illa fuerit; εἰκόνες namque res pictas ſaepe indicant[3]. Et certe viris de patria benemerentibus pictam imaginem fuiſſe olim decretam, liquet apertiſſime ex Attico lapide, quem cum aliis elegantiſſimis populi illius inſcriptionibus publicavit doctiſſimus Corsinvs[4]; quo in marmore legere eſt, placuiſſe Senatui concedere Diogeneto honorem ΓΡΑΠΤΗΣ ΕΙΚΟΝΟΣ, *pictae imaginis*. Atque hac una, tamquam conſueta

1 *Compend.* DIONIS *lib.* LXIX.
2 *De Aſino Aureo lib.* III.
3 Gvaricvs *de ſculptura veteri cap.* II.
4 *Inſcriptiones Atticae num.* VIII.

ſneta quadam, praeſtantique mercede Pergamenſes compenſaſſe Heraclamonis legationem, prodant AGATHIAE carmina [1].

Νῦν δ' ὑπὲρ ἱδρώτων τε καὶ ἀστυόχοιο μερίμνης,
Τῇδέ σε τῇ γραφίδι στήσαμεν Ἡρακλάμων.
Εἰ δ' ὀλίγον τὸ γέρας, μὴ μέμφεο· τοῖσδε γὰρ ἡμεῖς
Αἰεὶ τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας ἀμειβόμεθα.

Nunc vero ob ſudores, & civiles moleſtias
Hac te pictura ſtatuimus, Heraclamon.
Licet parvum munus, ne reprehendas: his enim nos
Semper egregios viros remuneramur.

Verum, uti caeterae diſciplinae, ita & *Ars lapidaria* ſuam habet vocum rationem, propriumque dicendi genus. Itaque licet εἰκὼν pro pictura a Graecis ſcriptoribus crebro accipiatur, in inſcriptionibus tamen, tantumdem valet ac ἄγαλμα, ἀνδριὰς, βρέτας. Cur enim in mox adducto Athenienſi marmore dicitur εἰκὼν γραπτὴ, niſi quia vox illa, quovis praetermiſſo adjuncto, ſtatuam, ſignumque exſtans denotaſſet? Ergo Alcidis filio non imago καταγράπτη, quemadmodum Diogeneto, & Heraclamoni, ſed ſtatua poſita fuiſſe videtur, quae non metri gratia, ſed aptiſſimo, uſitatoque vocabulo εἰκὼν in noſtro lapide appellatur. Quae quum ſatis comperta, certaque videantur, intererit nunc inveſtigare, qua probabilius materia ſtatua illa conſtaret. Equidem pro diverſa ſtatuariae artis ratione diverſa erant, quae effingebantur, palamque proponebantur ſimulacra. Atque haec in quatuor potiſſimum genera [2] dividi poſſunt.

Prima omnium ſine ulla dubitatione fuit ſtatuaria Πλαστική. Nam ecquid factu fuerat proclivius, inquit GOVE-

TVS,

1 *Antholog. lib.* IV. *epigr.* VI.

2 BVLENGERVS *de pictura plaſtic. lib.* I. *cap.* XIX. hujus artis genera adhuc ſubtilius partitur. Sed quae nos adnotamus, prima, ac ſumma ſunt aptae diviſionis capita.

tvs [1], quam ut ſimulacris effingendis ea primo materia adhiberetur, quae quotidie erat manus, quae erat levi negotio parabilis, quaeque jam vaſculis, aliiſque domeſticis uſibus fabricandis multo ante invehi debuerat? In qua arte excellere non infimae fuit laudis, unde merito dixit Aelianvs: Φιλῶ δὲ μηδὲ ἀγάλματα ὅσα ἡμῖν ἡ πλαστικὴ δείκνυσι, μηδὲ τὰς εἰκόνας ἀργῶς ὁρᾷν, *ſtatuas, & imagines, quas plaſtice finxit, non oſcitanter ſpectare ſoleo* [2]. Nonne Athenis inter ſtatuariae prodigia habita ſunt ἀγάλματα ὀπτῆς Theſei, Scironis, Aurorae, Cephali, quae in porticu regia viſebantur [3]? Nonne Babylone in mirabilibus numerabantur imagines opere lateritio venationem, variaque animalium genera referentes, quibus Semiramis (ſi Diodoro [4] credendum eſt) regiam domum ornari fecerat? Caeterum in hac ſignorum claſſe duo praeſertim animadverti velim. Primum quidem ἀγάλματα ὀστράκινα, καὶ πήλινα, ut loquitur Artemidorvs [5], apud Graecos, juxta ac Romanos priſcis temporibus ſimulacra Deorum, vel Heroum exſtitiſſe. Inerat neſcio quaedam teſtaceis hiſce ſignis ſuperſtitioſa religio, quaſi Numina in limo potius, quam in aere coli averent. Quocirca ſollicite, ac diutiſſime cuſtoditae perhibentur Jovis, Herculis [6], Veneriſque [7] *fictilis* imagines. Quid etiam Minervae *Scirados* ſignum tota Graecia celebratum? Sic ſane appellatum ἀπὸ σκίρου, qui Evstathio [8] γῆν γυψώδη δηλοῖ, *terram gypſo*

1 *Origine des Loix, des Arts &c. Tom.* I. *lib.* II. *cap.* V.

2 *Variarum Hiſtoriar. lib.* XIV. *cap.* XXXVII. Laudatiſſimi plaſtae Dibutades Sicyonius, Damophilus, Goraſius, Lyſiſtratus, Arceſilaus. Vid. Plinivm *H. N. lib.* XXXIV. & XXXV.

3 Pavsan. *Attic. ſive lib.* I. *&c.*

4 *Lib.* II.

5 *Oneirocritic. lib.* II. *cap.* XLIV.

6 Plinivs *lib.* XXXV. *cap.* XII. De ſimulacris fictilibus multa veterum ſcriptorum teſtimonia corrogarunt Barthivs *Adverſarior. lib.* XLII. *cap.* XXVIII. Rittershvsivs *Sacrar. Lect. lib.* VIII. *cap.* IX. Dan. Wilelmvs Trillervs *Obſervationum Criticar. lib.* IV. *cap.* VI.

7 Hesychivs v. Ὀστρακίς

8 *In Iliad.* Ψ.

gypſo ſimilem ſignificat. Cui ſortaſſe ſimilia fuere Apollinis, & Liberi Patris ſimulacra ex gypſo a PRVDENTIO [1], & JVL. FIRMICO [2] deſcripta. Contra vero illuſtrium hominum ſtatuae ὀστρακίδες vix in veterum libris occurrunt, ſi Amphyctionis [3], aliorumque perpaucorum excipias, qui potius inter Heroas numerandi ſunt.

Tum illud eſt notandum, citius in Graecia, quam in Latio ſtatuas argillaceas obſoleviſſe: ſiquidem dum aenea Deorum ſimulacra in Graecanicis templis jam colerentur, Romae adhuc

Hanc rebus Latiis curam praeſtare ſolebat
Fictilis, & nullo violatus Jupiter auro.

Proceſſu temporis lutum ad Deorum, hominumque ſtatuas perraro admodum fuiſſe accitum videtur [4]; atque ſtatuaria κεραμικὴ tota conſumebatur in *Sigillis*, *Donariiſque* effingendis, quae ante Divum pedes voti cauſſa deferebantur, vel in *Feſto Sigillorum* viciſſim dono dari conſueverant. Infinitae propemodum id genus icunculae argillaceae, etiam *cruda opera*, ſeu incoctae in veterum aedificiorum egeſtionibus jamdudum emerſerunt, atque in dies emergunt [5]. Nobis profecto opus minime eſt, aliena conquirere, quum praeclariſſima, ita dicam, domi ſuppetant. Scilicet his ſigillis mire affluit NANIORVM Muſeum, ex quo ſelecta quaedam depromſimus, opportunitatemque in IV. hujus operis parte nacti, conſequenter proferemus. Haec qui paullo attentius conſi-

1 *In Apotheoſi v.* 450.

2 *De error. Profan. Religion.*

3 PAVSAN. *lib. c. cap.* II.

4 Statuae argillaceae duae fuerunt Romae celebres, *Veneris Genetricis*, & *Felicitatis*, altera Caeſaris, altera Luculli impenſa, ab Arceſilao factae. PLIN. XXXV. *cap.* XLV.

5 Plurimi faciendae mihi ſemper viſae ſunt tum copia, tum varietate figulares imagines, quas eruditiſſimus, idemque mihi litterarum ſtudiis, atque animo conjunctiſſimus HANNIBAL OLIVERIVS detexit ſuperioribus annis in *Luco Sacro* ſuorum Piſaurenſium, quaſque ille obiter attigit in aureo opere: *Marmora Piſaurenſia pag.* 205.

conſiderabit, manifeſto intelliget, anathemata eſſe alia virginum, alia puerperarum, aegrotantium alia, Veneri, Lucinae, Diiſque ſalutaribus oblata [1]. Quin etiam hoc non dubitans dicam, in tam magno πλινθίνων icuncularum numero alias fuiſſe ex his, quae pueris ad jocum, ad oblectamen, ad lararium ludicrum inſtruendum dabantur, alias demum, quas figuli ſigillatores parabant memorati feſti gratia, quaſque ad manus affatim cuivis eſſe oportebat, quandoquidem in reciproca harum imaginum miſſione feſti pompa poſita erat. Id ut afferam, Macrobii oratione inducor, a quo eſt dictum: *Sigillariorum celebritas adjecta* (Saturnalibus) *in ſeptem dies diſcurſum publicum, & laetitiam religionis extendit. Nomen ex eo Sigillaribus, quod ultro, citroque ſigilla, ſive imagunculas miſſitarent* [2]. Eas vero lateritias maxima parte fuiſſe, ex Martiali colligitur, qui ſigilla laudat *luto Saturnalicio* formata [3].

Atque hic quaſi face quadam mihi feliciter oblata tentari utcumque poſſe crediderim Dicaearchi in hanc rem ſententia [4], quae deſperatiſſima, & vix Auguris ope extricanda H. Stephano [5] viſa fuit: ex qua *Sigillariorum* feſtum apud Graecos quoque obtinuiſſe demonſtrabo. Dicaearchvs ergo verba faciens de his, quae Athenis Demetrii Poliorcetae aetate in mirabilibus habebantur, inquit: *ἀγαθοὶ δὲ οἱ κατοικοῦντες αὐτὴν παντὶ τεχνίτῃ περιποιῆσαι δόξαν μεγάλην ἐπὶ τοῖς ἐντυγχανομένοις, ἐκβαλόντες τὰς ἐυημερίας θαυμαστὸν*

1 Sigilla Lateritia ex voto Diis ab innuptis, nuptiſve puellis, ab his, qui aegro eſſent corpore, vel opem a Superis depoſcerent, vulgavit imprimis pro operis inſtituto J. Ph. Tomasinvs *de Donariis*, *& Tab. votivis. cap.* II. XII. XXV. Donarium teſtaceum feminae lactantis a me olim inventum Tarenti, nuper edidit Cl. Caylvs *Tom.* III. *tab.* LX. Martiniani Muſei, quod Panormi eſt, tabulae anathemata taſtacea referunt elegantiſſima.

2 *Saturnal. lib.* I. *cap.* X.

3 *Lib.* XIV. *epigramm.* LXII.

4 *Geographiae veteris ſcriptores Graeci minores edit.* Hvdsoni *Tom.* I. *Status Graeciae pag. 9.*

5 Ad *h. l.*

πλινθίνων ζώων ἀνθρώπῳ διδασκάλιον. Hvdsonvs verbum verbo appendens totam ſententiam duriuſcule in Latinum ſic tranſmiſit: *Qui vero eam incolunt apti ſunt cuivis artifici magnam conciliare famam apud obvios, coelo ſereno producentes mirandum homini documentum animalium lateritiorum*. Depravatiſſimum eſſe hunc locum, ut commodus, integerque ſenſus exinde exſculpi nequeat, facile aſſentior. Verum ſi aliquae voces a deſcriptoribus, ac graphiariis procul dubio vitiatae levi mutatione refingantur, quodque Geographus ſtylo paullo abſtruſiori expoſuit, pro Latini ſermonis ratione, ingenioque convertatur, multo planior, certiorve erit illius interpretatio. Quod ut ex ſententia, feliciterque expediam, ſpectandum eſt quid Dicaearcho propoſitum eſſet hoc loco narrare. Indicat omnino diem aliquem, quem Athenienſes effuſa laetitia feſtum agebant, & quo tum Athenis ingens erat advenarum frequentia: quo praeterea die propalam exſtabant ſigilla fictilia magno numero ſic affabre, ſic artificioſe facta, ut advenis admirationi, ſigillatoribus vero ſummae laudi eſſent. Haec autem *ἀλληγορικῶς* expreſſit. Nam quid coeli temperies, atque ſerenitas, *εὐημερία* cum lateritiis imaginibus? Videtur ergo *μετάφορα* pro diei amoenitate, hilaritateque. Tropus pariter eſt *τὸ διδασκάλιον*, quod uſurpatum, poſitumque eſt ad Figulinorum Athenienſium peritiam, atque ſolertiam denotandam, quae tanta erat, ut exteris documento eſſe poſſet: quare tantumdem valere hoc loco debet, ac ſchema, ſive excellentiſſimum exemplar. Majores adhuc tenebras offiudit librariorum imperitia, aut oſcitantia. Primum quidem ſi ſchemata illa teſtacea in publicum educebantur pompae, feſtique ergo, non *ἐκβαλόντες*, ſed rectius *προβαλόντες* ſcribendum fuerat. Deinde vox illa *εὐημερίας*, ut, quod contenditur, apte ſignificet, efferri debet in gignendi caſu; idcirco in articulo praepoſitivo pro *τὰς* emendandum erit *τῆς*. Praeterea quid ſibi vult illud *θαυμαστὸν ἀνθρώπῳ*? Ineptum ſane *πλεόνασμα*: eccui enim admiranda videri debuerant figulina ſigilla, niſi homini illa contuenti? Quamobrem litteram unam in

in hac voce praetermiſſam, itemque conjunctionis particulam καὶ, quae probabiliter antecedebat, perperam abiectam fuiſſe ſuſpicor. Igitur malim legere: ζώων καὶ ἀνθρώπων. Credibile ne πλίνθινα illa ſchemata Athenienſium artificum animalia tantummodo repraeſentaſſe? Hominum etiam imagunculas effinxiſſe, tam certum videtur, quam quod certiſſimum. Poſtremo etſi fatear puriſſimum Graeciſmum redolere eam elocutionem ἀγαθοὶ περιποιῆσαι, aliter tamen reddi Latini idiomatis ſonus depoſcit. Quibus expoſitis totam DICAEARCHI orationem ſic corrigi, ſuppleri, concinnarique poſſe exiſtimaverim: ἀγαθοὶ δὲ κατοικοῦντες αὐτὴν παντὶ τεχνίτῃ περιποιῆσαι δόξαν μεγάλην ἐπὶ τοῖς ἐντυγχανομένοις, προβαλόντες τῆς εὐημερίας θαυμαστὸν πλινθίνων ζώων καὶ ἀνθρώπων διδασκάλιον. *His vero, qui eam* (urbem Athenarum) *habitant id bene evenit, ut omnibus ſuis artificibus* (Figulinis) *magnam laudem ab adventantibus comparent, quum laeto die in publicum efferunt admiranda animalium, & hominum exemplaria argillacea excellentiſſima*. Quod ſi iſthaec minus recte a me conſtituta fortaſſe videbuntur, lampadem doctioribus libenter contrado, ut in hoc ludo felicius verſentur.

Ejuſmodi autem argillacea ſchemata minio illinire, vel auro inducere Etruſci docuerunt [1]. Meminit hujus moris VITRVVIVS, ubi ait, aedium faſtigia more Thuſcanico ornari *ſignis fictilibus aut aeris inauratis* [2]. Quibus ex verbis certiſſimum habuit TRILLERVS, depravatum TREBELLII POLLIONIS locum perſpicue emaculari, reſtituique poſſe [3]. Locus eſt, ubi ille triginta Tyrannorum biographus de Calphurnia Titi Quarcini Imp. uxore ſic ſcriptum reliquit: *cujus ſtatuam in templo Veneris adhuc videmus argolicam, ſed auratam*.

1 Volupe mihi fuit Februario mox elapſo quum in agro Cornetano, ubi quondam urbs Tarquinia, permagnifica Etruſcorum hypogaea, ſepulcrave inviſerem, teſtacea ſigilla tenuiſſimi auri bracteolis alicubi adhuc obducta obſervare.

2 *Lib* III. *cap.* I.

3 *Obſervat. Critic.* loco ſuperius indicato.

tam [1]. Haec cum ſuperiori teſtimonio conferens nuperus Criticus, pro *argolicam* reſcribi jubet *argillaceam*, improbatque injuria SALMASII [2], & BAVDELOTII [3] judicium, quibus placuit Graecum verbum ſufficere **ἀργόλιθον** ſtatuamque Calphurniae *argolitham*, idest ex *lapide albo* exſtitiſſe. Verum vix ullus hominum erit, qui in animum inducat ſibi, credatque ſtatuam fictilem in honorem hujus de genere Piſonum Matronae in templo fuiſſe poſitam ea aetate, qua marmoris, aeriſque uſu largiſſime invecto, exularant jam **ἀγάλματα ὀστράκινα**, & in **Πλαστικῶν** officinis mera ſigilla, anaglypha, vel **προτομαὶ** [4] fabricabantur. Sed jam ne videar aberraſſe a diſtributione mea, tribus reliquis partibus explicandis demus operam.

PASITELES matrem ſtatuariae, ſcalpturaeque omnis **πλαστικὴν** merito appellavit [5]: ſed quoniam in quavis arte, quae factu faciliora ſunt ea antecedunt, quae plus habent operae ac laboris; **πλαστικῇ** prima profecto ſucceſſit ſtatuaria **τομικὴ**, quae tota in ligno, aut ebore incidendo, dolando, varieque deformando verſabatur. Ex hac ſchola prodiere veterrima omnia ſimulacra, quae **ἐξ ἐβένου, κυπαρίσσου, τῶν κέδρων, τῶν δρυΐνων, τῆς σμίλακος** &c. fuiſſe conſtat [6]. Ex hac cupreſſinum Minervae ſignum a XENOPHONTE Sciluntе poſitum [7]. Ex hac **τὸ ἄγαλμα τοῦτο ξόανον Ἀθηνᾶς**, quod erat Co-

1 Inter Scriptor. Hiſtor. Auguſt. *vit. Tyrann. cap.* XXXII.

2 *Not. ad Hiſt. Aug. h. l.*

3 *Utilité des Voyages Tom.* I. Album marmor ſummo in pretio apud veteres fuerat; idcirco ad ſtatuas clarorum virorum efformandas frequentiſſime adhibebatur. Conſulefis BLASIVM CARYOPHILVM *De Icone Aſclepiadis*.

4 Probi Imp. & Juliae Proclae uxoris protomae Clypeis affixae opere figlino adſervantur in Cimelio Brandenburgico. Vide *Theſaur. tom.* III. *antiquit. var.* 352.

5 PLINIVS. H. N. *lib.* XXXV. *cap.* XLV.

6 PAVSANIAS *Corinth. c.* XIX. *Achaic. cap.* XXV. *Arcadic. c.* XXI. *&c.* Titus Flavius Veſpaſianus ſtatuam Equeſtrem ex ebore Britannico dedicavit. SVETONIVS *in Tit. cap.* II.

7 Confer quae diximus *volum.* I. *part.* II. in Protheoria ad Leg. Sacr. Ithacenſium.

Corinthi [1]; τὸ δὲ ἄγαλμα τῆς Ἀφροδίτης, καὶ Ἑρμοῦ apud Argivos [2]. Ex hac τὰ ἀγάλματα τῶν Χαρίτων ξόανα ἐπίχρυσα τὰ ἐς ἐσθῆτα, πρόσωπα δὲ καὶ χεῖρες καὶ πόδες λίθου λευκοῦ, *lignea Gratiarum ſimulacra veſte inaurata, habentia manus & pedes ex candido marmore* in Elide adſervata [3]. Sed illuſtrium virorum ſimulacra neſcio, an umquam Graeci lignea fecerint, ut certe credi nequeat ex hoc genere fuiſſe ſtatuam, quam Baſſo ſuo Epidaurii poſuerunt.

Τομικὴν inſequutae ſunt χαλκουργικὴ, atque **κολαπτικὴ**, quarum prior in aere flando, teriundo occupatur, poſterior vero ſignis e marmore ducendis allaborat. Illam quidem primo loco conſulto nominavi, quod non dubitem aetate potiorem fuiſſe, atque ante quodcumque marmorariorum opus excogitatam, atque inventam. Nam ſi apud omnes certum, firmum, fixumque manet omnes rerum praeteritarum memorias, actique temporis hiſtorias omnes longe antecedere

Tradidit arcano quodcumque volumine Moſes,

ſequitur ſculptilia illa, quae inclytus Hebraeorum dux Dei monitu, inſtinctuque aut coli vetuit, aut everti, atque confringi juſſit [4], omnium vetuſtiſſima cenſeri debere. Atqui metallica potius, quam lapidea fuiſſe non perſuadet modo, ſed plane evincit aeris tractandi peritia, cujus luculentiſſima documenta natio illa jampridem ediderat in monilibus, inauribus, nummiſque conflandis [5]. Contra autem ſic intentata, vel ſaltem manca tum jacebat ſecandorum lapidum ars, ut loco ſtatuarum ſaxa ipſa impolita, aut vix in conum configurata populo colenda proponerentur [6]. Poſt haec quid

1 PAVS. *Corinth.* IV.
2 *Ibi cap.* XIX.
3 Idem *Eliac. Poſter. cap.* XXIV.
4 EXODI *cap.* XX. & XXIII.
5 Adi GOGVETVM *tom.* II. *lib.* II. *cap.* V. *art.* I. atque etiam, ſi quid eſt opus, SPERLINGIVM *de Nummis non cuſis cap.* XXXI. *& ſequ.*
6 Hoc argumentum abunde verſarunt BIDERMANNVS *de divino lapidum cultu. Inter Otia litterar.* T. I. HOELINGIVS *de lapidibus in honorem Deorum erectis.* PFEIFERVS *de lapidibus Deo poſitis, ac conſecratis &c.*

quid antiquius Homericorum temporum ſignis? Hic autem doctrinarum, & antiquitatis parens Alcinoi domum deſcribens, narrat fuiſſe illic ſtatuas aureas puerorum, faces manibus geſtantium, ut noctu illucerent convivantibus [1]. Quae quum ſint, nimium Rhoeco, & Theodoro tribuit PAVSANIAS, quos Sami aes conflare, ſignaque fabricare primos docuiſſe affirmat [2]. **Χαλκουργικὴν** potius perfeciſſe, induſtriaque ſua plurimum auxiſſe dicendi ſunt. Arte jam ad ſummum perducta, quid fuit tam elegans, tam politum, tam varium, quod ſtatuarii **μεταλλῖται** non effecerint? Quamvis ab exordio aereas ſtatuas nonnisi **σφυρηλάτους** *malleo ductas* [3], membriſque partite excuſis compactas [4] nollent efformare, mox ex ſolido conflatas dederunt. Quibus Graecus luxus id adjecit, ut bracteis aureis contegerentur: **παραπέταλοι** proinde, & **ἐπίχρυσοι**, bracteatae, auro illuſtres nominantur [5]. Metallorum autem mixtura jam a Seſoſtridis aetate nota, compertaque fuerat, cujus juſſu, ut habet CLEMENS ALEXANDR. ex ATHENODORO, Bryaxes ſtatuam ex auri, argenti, aeris, ferri, plumbi ramentis conflavit [6]. Plus certe elegantiae, venuſtatis, ſtudiique praeſeferunt ſtatuae non ex variis metallis mixtim fuſis, ſed ex aere inſertis ingenioſe aureis, argenteiſve membris. Contineo me ab exemplis, quae Italorum Cime-

1 *Odyſſ. E.v.*100. Aureae Deorum ſtatuae complures occurrunt vetera legenti, ut Jovis, Junonis, Rheae a Semiramide in faſtigio templi poſitae. DIODOR. *lib.* II. Bendis, Attis, Anubis, Mithrae, quas recenſet LVCIANVS *de Jove Tragoedo*. Apollinis in templo Delphico, quod Brennus expoliavit. JVSTINVS *lib.* XXIV. *cap.* VII. Vid. item AEMILIVM PROBVM *in Chabria*.

2 *Arcadic. cap.* XIV. Similia habet Antenagoras *in Apologia pro Chriſtianis cap.* XIV. cujus tamen verba a librariis male deſcripta reſtituit WESSELINGIVS *Probabilium lib. ſingular. cap.* XII.

3 THEOCRITVS *Idyll.* XXII.

4 CLEMENS ALEX. *in Protrept.*

5 Statuarum χρυσωτὰς, atque κονιαυτοὺς *deauratores*, ſcilicet, *deauratores*, & *incruſtatores* nominat PLVTARCHVS *de glor. Athen.*

6 *In admonit. ad Gentes*.

Cimelia ubertim poſſent ſuppeditare [1]. At ne ampliſſimi NANII noſtri Gaza his opibus carere credatur, protomen aeream pene tripalmarem oculis, labiiſque argenteis ANNII VERI effigiem, ut mihi quidem videtur, referentem mutuabimur, atque ad hujus paragraphi calcem edemus. Statuae ἀργυρίτιδες, vel χρυσαὶ, quas improba aſſentatio hominibus deſtinavit, aut ſuperbia, & arrogantia poſtulavit [2], noſtrum nequaquam ſermonem deſiderant. Regificus namque hic luxus ab aequioribus Principibus velut immoderatus, opumque populator fuit caſtigatus [3]; ut in diſceptationem cadere nequeat, num ſtatua Baſſi tanto ſumptu, & magnificentia fuerit parata. In κολαπτικῇ vix eſt, quod animadvertendum proferam; poſtquam inſignis hac tempeſtate Archaeophilus COMES DE CAYLUS univerſam ſtatuariae hiſtoriam ſic accurate, docteque perſequutus eſt, ut nihil caeteris [4] ſcri-

---

1 Inter χαλκουργικῆς prodigia merito recenſetur caput aereum Ptolemaei Regis diademate auro intexto, labiis auro bracteatis, oculis argenteis, pupilliſque hyacinthinis, quod eſt in aedibus eruditiſſimi C. A. ALBANI. Hujus pretioſiſſimi monumenti fata, atque, ita dixerim, hiſtoriam vulgavit incompta licet oratione JOH. CHRYS. SCARFÒ: *Lettera ſopra varj antichi monumenti pag.* XLVII. Caput, manus, aliaque membra ex vario metallo etiam marmoreis ſtatuis aptabantur. Studioſi maxime harum elegantiarum Graeci fuere. Quare CICERO Atticum ſuum rogabat, ut Hermas ex Pentelico marmore *cum capitibus aeneis* ad ſe mitteret. *Epiſt. ad Att. lib.* I. *ep.* VIII. Supervacaneum duco commemorare id genus ſtatuas, quae in quovis prope Muſeo obviae ſunt.

2 Auream Claudio Imperat. populum poſuiſſe, ſcribit TREBELLIVS POLLIO *in vita ipſius*. Argenteae Auguſto dedicatae a PLINIO laudantur *lib.* XXXIII. *cap.* XII. Domitianus *ſtatuas ſibi in Capitolio nonniſi aureas & argenteas poni permiſit*. SVETONIVS *cap.* XIII.

3 Contra recuſarunt Nero, & Nerva Cocejus. TACIT. *Annal.* XIII. XIPHILINVS *lib.* LXVIII. Macrinus, eodem hiſtorico teſtante, *lib.* LXXVIII. malae conſuetudinis corruptelam penitus convelli poſſe dubitans, pondus ſaltem ſtatuarum minuendum cenſuit; argenteas enim non ultra libras quinque, aureas vero duas ponderare ſancivit. Fuerant haec procul dubio ſigilla, quae non fori, aut theatri ornamento parabantur, ſed intra aedes adſervabantur.

4 In duabus eximiis diſſertationibus, inter Acta Regiae noſtrae politiorum litterarum Academiae. *De la Sculpture, & des Sculpteurs anciens*. Item *Reflexions ſur les Chapitres du* XXXIV. *livre de Pline &c. Memoires de litterature de l'Académie Royale des Inſcriptions &c. tom.* XXV.

ſcribendum fecerit reliquum . Vt igitur redeam ad Baſſi εἰκόνα ex qua omnis haec oratio nata eſt, controverſia una ſupereſt, aerea ne, an marmorea illa probabilius exſtiterit, quandoquidem de eo conticeſcit inſcriptio.

Quid ego non mirer, eſſe quemquam, qui ſibi perſuadeat, aeream nonniſi perpauciſſimis fuiſſe conceſſam, ut Athenis Harmodio, Ariſtogitoni [1], atque Cononi [2], caeteros autem bene merentes viros marmoream communiter obtinuiſſe [3]? Hoc qui exiſtimat uſuveniſſe, non ſatis videtur rerum Graecarum, praeſertimque Athenienſium ſcriptores accurate perpendiſſe. Quod ut vere a me dici conſtet, teſtimonia ſunt recitanda. Nonne unus ille DEMOSTHENES, ne longius faciam, in oratione περὶ συντάξεως conquerebatur, ſua aetate omnibus ducibus ſtatuam aeream poni, quae Themiſtocli, Miltiadi, aliiſque praeſtantioribus hominibus negata fuerat a majoribus? ἐκεῖνοι Θεμιστοκλέα τὸν τὴν ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχίαν στρατηγήσαντα, καὶ Μιλτιάδην τὸν ἡγούμενον ἐν Μαραθῶνι, καὶ πολλοὺς ἄλλους οὐκ ἴσα τοῖς νῦν στρατηγοῖς ἀγαθὰ εἰργασαμένους, μὰ Δί᾽, οὐ χαλκοῦς ἵστασαν: *illi Themiſtocli, cujus ductu navale praelium ad Salaminem commiſſum eſt, & Miltiadi Marathoniae pugnae duci, multiſque aliis, qui res longe clariores, & utiliores, quam hi noſtri duces, geſſerant, mediusfidius, non aereas ſtatuas ponebant*. Quod quum probe cognitum, comprehenſumque haberet eximius hujus Oratoris interpres VLPIANVS Rhetor, Athenis id non uſitatum modo, ſed familiare, pervulgatumque fuiſſe monuit: ἔθος ἦν παρ᾽ Ἀθηναίοις τοὺς εὐεργέτας τῆς πόλεως λαμβάνειν διαφόρους τιμὰς ἢ χαλκῆν εἰκόνα, ἢ σίτησιν ἐν πρυτανείῳ ἢ ἀτέλειαν: *Athenis moris erat, ut benemeriti de Repub. varios acciperent honores, ſive ſtatuam aeream, ſive victum in Prytaneo, ſive immunitatem* [4]. Jam vero mos, qui a DEMOSTHENIS aetate Athenis permanſerat, facil-

1 Vide locum ARRIANI, quem recitavimus *volum.* I. *Part. pag.* 18.
2 DEMOSTHENES *in Leptinem*.
3 PRIDEAVXIVS *in Chron. marmor. ep.* 46.
4 *Ad Oration. in Leptin.*

faciſlime Epidaurum immigrare potuit, ut urbis illius Senatus Baſſum civem ſuum multis nominibus clarum non marmorea, ſed potius aenea ſtatua honorandum ſanciverit. Nam licet apud hanc liberam Civitatem eum morem revera obtinuiſſe, ſpecialiter docere haud queam, audiatur tamen ARTEMIDORVS Epheſius, qui vetat dubitare, Graecis omnibus non uſurpatum, & commune fuiſſe generoſis viris ſtatua aenea decorare, quum generatim dixit: χάλκειοι εἰκόνες τῶν ἐλευθέρων ἀνατίθενται, *aereae imagines ingenuis ponuntur* [1]. Eccui vero Epidaurios conſultius poſuiſſe, dicendum erit, quam viro, cui tantum ſe debere profitebantur?

Hactenus quidem diverſam, multiplicemque materiam, qua imagines, ſignaque clarorum virorum nomini perpetuando effingi, conflarique ſolebant, quantum operis conſilium poſtulabat, dicendo complexi ſumus. Itaque cum in locum noſtra nos provexit oratio, ut jam quaerendum ſit, quo habitu, quave forma ab antiquis artificibus donarentur. Aegyptii vetuſtiſſimum hominum genus, a quibus ſtatuaria profluxit, nullam aliam fingendarum imaginum diſciplinam norunt, niſi rudem, aſperam, incomptam, numquam venuſta partium compoſitione, numquam varietate decoram. Statuae apud illos, ut plurimum nullo artificio diſtinctae: brachia lateribus quaſi adglutinata, & ad coxendices demiſſa, aut ad pectus decuſſata; crura aut nullo intervallo, aut brevi unius pedis receſſu disjuncta; caeſaries inconcinne diſtributa, quaſique injectum capiti extraneum integumentum a tergo indiviſa defluens. Hanc vero rationem, quam a principio non ulla arcana cauſſa permoti, ſed mera ignoratione ſuſceperant, conſtantiſſime ſemper retinuerunt, quod rerum patriarum ſuperſtitioſe tenaces nihil de priſcis moribus immutandum, nihil ab exteris gentibus in ſuas terras importandum apud ſe ipſos obſtinato animo conſtituiſſent. Quare neque natura, neque ars, neque aliarum nationum exemplum valuit umquam primaevam barbariem ab Aegypto depellere. Quandoquidem vero ſtatuariae diſciplina indi-

1 *Oneirocritic. lib.* 1. *cap.* LII.

dem in Graeciam, Etruriam, & qua Sol habitabiles inluſtrat oras, ſe fudit, ac manavit; Graeci, Etruſci, caeterique populi primigeniam illam Aegyptiorum ſcholam amplexati ſunt. Quod qui non animadvertunt, inter Aegyptiaca facile, perperamque recenſent ſigna omnia inelegantis artificii, quae interdum in Graecis, aut Italicis ſunt numeranda. Diutius profecto haec ſculpturae ratio apud eos populos viguit, qui vel bellis jugiter diſtenti, vel ſuis finibus numquam egreſſi, vel a majoribus tradita deſerere nefas, habentes, nihil artibus perficiendis, provehendiſque allaborarunt. In his praeſertim fuerunt Piceni, atque in Picenis Cuprenſes; quorum tellus aratro, aut bidente verſata interdum pandit hujus formae, operiſque ſigilla [1]. Mihi vero, qui Graeca imprimis toto hoc libro dicendo, conſector, videntur hoc loco in lucem, conſpectumque educenda duo Aegyptiae ſcholae exempla e Graecia in Cl. NANII Muſeum delata.

Primam icunculam [2] ad communem illam Aegypti conſuetudinem conformatam, oppido quam antiquiſſimam, & vix aeris ſignandi doctrina illinc in Graeciam deducta, fuiſſe conflatam, certo produnt vetuſtiſſimae formae characteres plintho inciſi [3]. Tum quod duo verba **ΠΟΛΥΚΡΑΤΕΣ ΑΝΕΘΕΚΕ** deſcripta ſint priſca lingua, ſcilicet ante invectam a Simonide in Graecum alphabetum littera H [4]; norunt enim Grammaticorum filii, ſcribendum πολυκράτης ἀνέθηκε. Ergo ſi aeram hanc antecedere dicuntur **ΑΘΗΝΑΙΩΝ** nummi, in quibus pro H conſtanter occurrit E; eadem vetuſtas micare videtur in hoc noſtro anathemate. Vtinam vero Polycrates, qui ſuum nomen, dedicationemque a ſe factam inſcribens, Graecis forte praeluſit, ut hunc morem in donariis

1 Nonnulla Lutetiam miſſimus, quae nuper edita ſunt a saepius laudato Viro. *Recueil d' antiquites tom.* III. *tab.* V. *&c.* XVII.

2 Cujuſvis pretii ea viſa eſt viris doctiſſimis SCIP. MAFFEIO, *Verona illuſtrata Part.* III. *cap.* VII. H. ZANETTO, *Due antichiſſime Inſcrizioni &c.* ED. CORSINO, *Spiegazione di due Inſcrizioni &c.* PASSERIO, *Oſſervazioni &c. Part.* I. *pag.* XXIV.

3 Plura quum de horum monumentorum calligraphia.

4 Adiſis REINOLDIVM *Hiſtoria Graecarum litterar. cap.* XXI.



ΠΟΛΥΚΡΑΤΕΜ ΑΝΕΘΕ ΚΕ

Exſtat ex aere in Muſeo Nani

nariis dedicandis retinerent, illud addidiſſet, quale nam ex Numinum turba ſub hac imagine lateat! Sed ſerius probabiliter ſuſcepit hominum uſus, ut Deorum nomina adnotarent. Ac ne a ſigillis aberremus, documento eſſe poteſt illud Muſei Wilenbroekiani, cui inſculptum:

ΚΑΦΙϹΟΔΟΡΟϹ ΑΙϹΚΛΑΠΙΙΟΝ

Qui titulus doctiſſimo Daventrienſi Conſule Cupero [1] interprete, Latine ſic eſt explicandus: *Caphiſodorus icunculam Aeſculapii dedicavit*. Ad noſtrum quod attinet, fortaſſe unum aliquem Apollinum referre addubitavit Passerius. At quoniam ingenue profeſſus eſt, ambiguas admodum eſſe, quae ad id probandum, afferri poſſent, conjecturas, nihil immoror in re inveſtiganda, quae tantopere eſt incerta.

Alterum, quod huic adnecto, ſigillum, aut eadem, aut valde proxima aetate fabricatum, peritus quiſvis concedet. Apparent in utroque perſpicua indicia, qua ratione baſi ligneae, aut marmoreae, vel etiam ſtructili aptarentur. Primum nempe clavo per foramen, quod in plintho eſt, immiſſo ſtylobatae adhaerebat: alterum ut pote in cuſpidem deſinens, per ſe illi infigebatur [2]. Etſi reliquis ſimulacris id eſſet commune, quae vel injectis clavis, ut ex Plutarcho conſtat [3], vel plumbo affuſo, quemadmodum a M. Tullio [4] ſcribitur, in ſuis baſibus retinebantur; illa etiam cauſſa accedere poterat, cur iſthaec ſigna, quibus divinitas ineſſe putabatur, ſuis baſibus adfigerentur, ne ſcilicet, aut populo irata, aut ab hoſtibus evocata tholo, aede, urbe migrarent [5].

Emer-

---


1 *Lettres de M. Cuper lett.* IX. *a M. la Croze*. Scribendum fortaſſe erat ΚΑΦΙϹΟΔΩΡΟϹ ΑϹΚΛΑΠΕΙΟΝ

2 *l. c. pag.* XXXI.

3 *De defectu Oracul.*

4 *Somn. Scipionis*.

5 Paucis rem univerſam complexus eſt Arnobius *Adverſus Gentes lib.* VI. his verbis: *ſub validiſſimis Deos clavibus, ingentibuſque ſub clauſtris, ſub repagulis, peſſulis, aliiſque hujuſmodi rebus cuſtodiebant, conſervabant, atque habebant incluſos*. Utramque migrationis cauſſam adnotavi, quod probe



Ex Aere.

Emerſit tandem in hominum lucem excellenti ingenio artifex Daedalus Athenienſis, qui priſcam, barbaramque ſtatua-

probe noverim eſſe claros ſcriptores, atque in his maxime eruditum ANSALDVM (*de Romana tutelarium Deorum evocatione cap.* III.) qui pugnaciſſime tuentur, ritum evocationis Graecis fuiſſe incompertum, & Quiritum omnino proprium dici debere. Sed quid, quod Lacedaemones Martis, & Apollinis ſigna aureis catenis illigaverint? (PAVSANIAS *Laconic. cap.* III.) Rurſus quid quod Tyrii ejuſdem Apollinis ſtatuam arcte devinxerint, metuentes, ne forte in Alexandri caſtra tranſiret? (DIODOR. *lib.* XVII.) Revera ne ſponte ſua in alienas terras Numina non evocata, exorataque concedebant? Vereor, ne dum hic mos Graecis abjudicatur, de voce vitilitigetur. Quod a Romanis tanta caeremoniarum pompa, conceptiſque carminibus fiebat, forte Graeca natio abſque ea apparatione, determinatiſque formulis praeſtabat. ANSALDO adjungendus JOH. GVIL. BERGERVS, qui item *de Evocatione Deorum ex Oppidis Obſeſſis* non inſcite ediſſeruit.

ſtatuarum formam expolire inſtituit. Nam manus diſcrevit, varieque porrexit, crura, pedeſque ſic disjunxit, aptavitque, ut inceſſum moliri viderentur, ori, atque oculis vitam addidit, diverſos animi motus, perturbationeſque vultus lineamentis, totiuſque corporis geſtu expreſſit; unde Themistio [1], Palaephato [2], & Callistrato [3] auctoribus, in proverbium venerat, Daedali ſtatuas ſpirare, agere, moveri. Imitatores, aemulatoreſque nactus is fuit Myronem, Polycletum, Praxitelem, Phydiam, Lyſippum &c. alioſque jam a Luciano celebratos [4]; quorum ſtudiis ſtatuaria ab humili venit ad ſummum, incredibiliſque Graecis artificibus facta eſt apud omnes commendatio. Atque in his hominum virtute bellica, imperii adminiſtratione, litterarum fama, aliove nomine illuſtrium imaginibus, quae exinde Graeciam oppleverunt, duo diſtingui debent; geſtus ſcilicet, earumque magnitudo. Nam aliae fuerunt pedeſtres, vel ſeſſiles, aliae equeſtres, vel curules [5]: qua differentia geſta a viris optimis in diverſo vitae genere multo aptius, atque expreſſius oculis proponi poterant. Quamquam non praetermittebant gnari, navique artifices adjuncta quaedam, atque emblemata, ut in qua quiſque arte excelluiſſet, e veſtigio deprehenderetur; quemadmodum in aenea Lyricorum principis Pindari ſtatua factum perhibet Aeschines [6]: viſebatur quippe καθήμενος ἐνδύματι καὶ λύρᾳ, διάδημα ἔχων, καὶ ἐπὶ τῶν γονάτων ἀνειλιγμένον βιβλίον, *ſedens cum veſte, & lyra, coronam gerens, habenſque ſuper genua complicatum librum*. Erant etiam uti geſtu, ſic magnitudine diverſae. Nam ne quid

1 *Oratione* XV.
2 *Incredibilium cap.* XXII.
3 *In Statuarum deſcriptionibus*. Libellum hunc Philoſtratorum operibus adjunxit Olearius.
4 *De Sacrific.* & in *Jove Tragoedo*. Rurſus confer Plinium *lib.* XXXIV. *cap.* IV. V. VI. &c.
5 Demontiosius *de Sculptura Veter. lib.* I. *cap.* I.
6 *Epiſt.* IV. *ad Cteſiphontem*.

quid eloquar de Coloſſis [1], ſtatuae benemeritis poſitae plerumque *ἰσομετρήτοι*, pariles, ſeu quod ajunt, *iconicae* fuerunt. Quamquam ſaepe contigit illarum proceritatem augeri, vel imminui pro artificum libito, aut varia loci conditione, ubi fuerant conlocandae.

Sed Athenienſes novum adinvenerunt ſtatuarum genus, quibus laudatorum virorum effigiem conſervarent, poſteriſque commendarent; *Hermas* ſcilicet, ſive imagines pectore tenus, columellae quadratae impoſitas [2]. Eſt hujus Attici moris luculentiſſimum apud Aeschinem [3] exemplum. Quum virtuti, egregiiſque factis fortiſſimorum Athenienſium ducum, qui Medos ad Styrmonem fluvium devicerant, merces eſſet conſtituenda, optimum factu populo viſum fuit, hunc illis honorem concedere: **οὗτοι δεῦρο ἀφικόμενοι τὸν δῆμον ᾔτησαν δωρεὰν, καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς ὁ δῆμος τιμὰς μεγάλας, ὡς τό τ' ἐδόκει, τρεῖς λιθίνους ἑρμᾶς στῆσαι ἐν τῇ στοᾷ τῶν ἑρμῶν, ἔφη τὲ μὴ ἐπιγράφειν τὰ ὀνόματα τὰ ἑαυτῶν, ἵνα μὴ τῶν στρατηγῶν, ἀλλὰ τοῦ δήμου δοκῇ εἶναι τὸ ἐπίγραμμα,** *Hi huc* (Athenas) *reverſi praemium a populo petiere, ac magnos eis populus habuit honores, ut tum moris erat, tribus lapideis hermeis ſtatuis erectis in porticu hermarum; nec tamen conceſſit ipſorum inſcribi nomina, ut illa inſcriptio non ducum, ſed*

---

1 Primae omnium Coloſſales ſtatuae videntur fuiſſe, quas Seſoſtris juſſit fabricari. Sed omnium celebratiſſimus Rhodius Solis Coloſſus, quem fecit Chares Lindius. Quae de illo a veteribus mandata litteris ſunt, non hic recudam. Reichevs *de Coloſſis*, & *jure Coloſſor.* Mevrsivs *de Rhodo lib.* I. *cap.* v. Bergierivs *Hiſtoire des Grands Chemins de l'Empire livre* v. *ch.* xv. Dapervs *deſcriptions des Isles de l'Archipel.* &c. aliique hanc ſpartam ornarunt. Soli praeſertim dedicabantur; nam praeter Rhodium, Apollinis Coloſſum in Auguſti Bibliotheca poſitum memorat Plinivs *lib.* xxxv. *cap.* vii. Nero Imp. Coloſſalem ſtatuam a Zenodoro factam ſibi met dedicavit; ex qua Veſpaſianus ablato Neronis capite, alterum Solem referens ſuffecit, Commodus deinde capite Solis everſo, ſui ipſius adpoſuit. Immanes id genus ſtatuae, niſi praepotens Principum ambitio eas flagitaret, privatis hominibus nequaquam decernebantur.

2 Pavsan. *in Meſſenicis*.

3 *In Cteſiphontem*.

ſed ipſius eſſet populi . Placuit deinde optimis ſculptoribus hermas in meliorem , amplioremque formam redigere , addita capiti multa corporis parte ; atque hac ratione auctiores , elegantioreſque factas , *Protomas* appellaverunt . In Regum gratiam id primo fuiſſe excogitatum videtur , ſi qua fides Hesychii definitionibus eſt adhibenda ; habet enim: *προτομὴ εἰκὼν βασιλικὴ ἕως τȣ̃ ὀμφαλȣ̃ τȣ̃ σώματος εἶδος* , *protome imago regia ad umbilicum uſque corporis fuit* [1] , At Philoſophi etiam , Poetae , & qui devictis hoſtibus , qui patriae caritate , qui ſapientia , qui magiſtratuum poteſtate inclaruerant , hac forma marmori redditi ſunt . Quemadmodum vero ſtatuae , & hermae , ita protomae honoris cauſſa , virtutiſque praemio decernebantur . Ex innumeris teſtimoniis exſcripſiſſe ſufficiat veterem titulum illum Ordinis Paeaniſtarum , ſeu Cantorum , qui Romae Jovis , Solis , Magnique Serapidis , Deorumque Auguſtorum ſacris vacabant, quique Conlegii ſui Praeſidem Emben vaticiniorum pronunciatorem , viſorumque interpretem protome marmorea honeſtandum cenſuerunt [2] .

ΙΕΡΑ . ΤΑΞΙC . ΤΩΝ . ΠΑΙΑΝΙCΤΩΝ
ΤΩΝ . ΕΝ . ΡΩΜΗ . ΔΙΟC . ΗΛΙΟΥ
ΜΕΓΑΛΟΥ . CΑΡΑΠΙΔΟC . ΚΑΙ . ΘΕΩΝ
CΕΒΑCΤΩΝ . ΕΤΙΜΗCΑΝ . ΕΜΒΗΝ
ΠΡΟΦΗΤΗΝ . ΠΑΤΕΡΑ . ΤΗC . ΠΡΟ
ΓΕΓΡΑΜΜΕΝΗC . ΤΑΞΕΩC
ΠΡΟΤΟΜΗ . ΜΑΡΜΑΡΙΝΗ .

Quamvis autem populus Athenarum nomina privatorum hominum ſtatuis hermeis inſcribi vetuerit , deinde tamen id frequentiſſime obtinuiſſe conſpicimus , praeſertim in illorum imaginibus , qui doctrinae praeſtantia ſummam collegerant famam . Infinita propemodum ſuperſunt illuſtrium Graecorum

1 *Lexic. h. v.*
2 Grvtervs *Theſaur.* CCCXIV. 2.

rum capita ſtelae quadratae, ſeu terminali aptata, inſculpto ibi cujuſque nomine. Ac eo magis apponi nomina neceſſe erat, quo minus eorumdem corporis habitus, vultuſque lineamenta fuerant cognita, atque explorata. Contra ac de Imperatorum, Regumque protomis eveniebat, quorum effigies in nummis exſculpta quotidie in oculos incurrebat, proindeque vix conſpecta alicujus ſtatua, facile dignoſci poterat. Ad hermarum claſſem pertinere nullus dubito marmoreum cippum in archaeotheca nobiliſſimi Nanii adſervatum, cujus exemplar exhibemus.



Ex Leucade 1760. Alt. Pal. R. 2.

Dolendum ſane excidiſſe, interiiſſeque Alcyonis caput, ſive protome, quae proculdubio huic inhaerebat columellae. At ſi quiſpiam ex me ſciſcitetur, quemnam Graecorum in veteri hiſtoria invenerim hoc nomine donatum, dignumque, cui ob praeſtantem ſapientiae laudem ſtatua hermea poneretur; ſtatim ex Josepho ſuccurrit Medicus ille, qui Caio Caligula imperante artem ſalutarem Romae factitabat.


tabat. In ea plurimum valuiſſe, argumento eſt, quod ipſe unus ad curationem adductus fuerit in graviſſimo nobilium Civium diſcrimine. In ea quippe ſeditione, in qua Cajus a Caſſio Chaerea per inſignem proditionem interemptus fuit, nonnulli etiam, qui illius ſtudebant partibus, a facinoroſis ad necem petiti, ex periculo vix evaſerunt vulneribus miſere affecti: tum **Ἀλκύων ὁ ἰατρὸς συναρπασθεὶς ἐπὶ θεραπείᾳ τινῶν τραυματιῶν**, *Alcyon medicus vi comprehenſus fuit, ut aliquos ſaucios curaret* [1]. Quis ergo eat inficias, in ſapientibus praecipue Graece doctis, quorum litteratis certaminibus Caligula delectabatur [2], Alcyonem poſſe merito numerari? Studium certe, atque benevolentia, qua Imperator viros eruditione, ingenioque praeſtantes proſequebatur, aditum illis patefaciebat, ut Romae eo tempore libenter concederent, atque inter alios hunc inſignem archiatrum facile adduxit. Quod ſi ex loco, ubi lapis inventus fuit, conjectura aliqua capi poteſt, inferre exinde licebit Alcyonem ex Leucade, aut alia proxima urbe veroſimiliter oriundum fuiſſe. A quibus enim monumenta viro alicui inclyto, & famigerato libentius ponebantur, quam a popularibus, atque conterraneis? Hic itaque lapis pro baſi protomae, aut hermeae ſtatuae hominis clariſſimi, cui nomen Alcyon, haberi debet. Neque marmoris forma faſtidium noſtris artificibus faceſsat, quibus ſollemne eſt hiſce ſignis pyramidem inverſam, ac detruncatam plerum ſupponere; perinde ac ſi veteres ſculptores non aliam agnoverint ſtylobatae rationem.

1 *Antiquit. Judaic. lib.* XIX. *cap.* I. In antiquis JOSEPHI editionibus Ἀρκύων occurrit. Sed optimorum codicum fide emendatum Ἀλκύων. Confer FABRICIVM *Biblioth. Graec. lib.* VI. *cap.* IX. *volum.* XIII. Facile in JOSEPHI textum litteram *r* pro *l* affinitate ſoni irrepſiſſe jam obſervavit DANIEL CLERICVS *Hiſtoire de la Medicine Part.* III. *livr.* I. *chap.* III. Laudatur etiam a PLINIO H. N. *lib.* XXIX. *cap.* VIII. quidam Medicus vulnerarius *Alcon* Claudii aetate celeberrimus. At ſi idem cenſendus is eſt, ac Medicus, de quo Judaeus Hiſtoricus; ego equidem contra CLERICI ſententiam, codicum, noſtrique lapidis fide, libentius emendaverim in PLINIO *Alcyon*, quam in JOSEPHO *Alcon*, *y* rejecta.

2 SVETONIVS *in C. Calig. cap.* LVIII.

nem. Haec dum ſcripto mandarem, Sardam abſolutiſſimae ſcalpturae ſors obtulit, in qua hypobaſis *Hermathenae* a ſummo ad imum ſenſim augeſcit, atque in latius porrigitur: quam proinde rei conteſtandae, artificumque documento libuit in publicum dare.

SARDA



Caeterum quemadmodum ex Leucadii marmoris forma colligitur, hermam, aut protomen illi impoſitam fuiſſe, ita ex baſis Epidauriae magnitudine ſtatuam iconicam Baſſo fuiſſe decretam manifeſto deprehenditur. Quam Statuam ad veram, germanamque Baſſi effigiem a ſcalptore conformatam exſtitiſſe, non veriſimile modo, ſed prope certum fit. Non enim credendum, Epidaurios nobiliſſimo, ac beneficentiſſimo civi ſuo aliquod aliud ſignum, eraſo priore nomine, dedicaſſe, licet Athenis id aliquando factum tradatur [1]. Si tam

H 2 multa,

1 Miltiadis, & Themiſtoclis ſtatuae, quae in Prytaneo erant, mutata inſcriptione, viro Thraci, & Romano fuerunt attributae. PAVSAN. *Attic. cap.* XVIII.

multa, ac tam ingentia erant illius merita, decebat ne Senatum parſimoniae adeo ſtudere ? Decebat ne virum ſummum in urbe patria tenui adeo affici honore ? Probro pene in vertebat Rhodiis DIO CHRYSOSTOMVS : ὅταν γὰρ ψηφίσησθε ἀνδριάντα τινὶ, συμβαίνει δὲ πρᾶγμα ἀτοπώτατον. ὁ γὰρ στρατηγὸς ὃς ἂν αὐτῷ. φανῇ τῶν ἀνακειμένων τούτων ἀνδριάντων ἀποδείκνυσιν. εἶτα τῆς μὲν πρότερον οὔσης ἐπιγραφῆς ἀναιρεθείσης. ἑτέρου δὲ ὀνόματος ἐγχαραχθέντος πέρας ἔχει τὸ τῆς τιμῆς. *Quando enim alicui ſtatuam decernitis, res accidit abſurdiſſima. Praetor quippe quaecumque illi viſa eſt ex conſecratis his ſtatuis eam deſignat, deinde deleta priore inſcriptione, atque altero nomine inſculpto, finem habet prioris honor* [1]. Merito proinde fugacem hanc laudis teſtificationem repudiabat M. CICERO [2]; repudiaſſetque Baſſus ipſe, qui ſe meliore gloria dignum ſentiebat. Quin etiam ſi apud Epidaurios in more poſitum fuiſſet, ut magnis viris, qui Rempublicam geſſerant, auxerant, ſuſtentarant, ſtatua iterato decerneretur, quod alias factum legimus [3], jure ille unus repetere potuiſſet.

Jam quis ambigat, tanti hominis εἰκόνα loco tota urbe celebri, & inluſtri erectam fuiſſe ? Si enim Reipublicae ſplendorem, gloriam, dignitatem hiſce ſignis augeri putabatur, quemadmodum a Juriſconſulto PAVLLO dictum eſt: *concedi ſolet, ut imagines, & ſtatuae, quae ornamenta Reipublicae ſunt futura, in publicum ponantur* [4]; locus quaerendus erat ſitu, conditione, frequentiaque conſpicuus. Is in urbe aeterna Forum praeſertim eſſe credebatur; in quo multo praeclarius fuit, ſtatuam habere, poſtquam a Cenſoribus P. Cornelio Scipione, & M. Popilio ſublatae ſunt, quae populi, aut ſenatus injuſſu illic poſitae fuerant [5]; Claudiuſque Imp. edicto ſuo ſtatua-

---

1 *Orat. Rhodiac.*

2 Ad Atticum perſcribens ait: *odi falſas inſcriptiones ſtatuarum alienarum lib.* VI.

3 Huc alludit quod idem TVLLIVS habet Philippica IX. *qualis L. Sullae prima ſtatua eſt*. Quem locum interpretes male plerumque divexant, atque ſollicitant, inepte pro *prima* reponentes *primum*.

4 *L. ff. de loco pub. fruendo*.

5 Vide PLINIVM *lib.* XXXIV. *cap.* VI.

tuarum compreſſit luxuriam, nec niſi publica auctoritate poni licere mandavit: *ἐξῆν γὰρ ἀναίδην βουλομένοις, ἐν γραφῇ, καὶ ἐν χαλκῷ, λίθῳ τε δημοσιεύεσθαι*, *licebat enim palam volentibus in pictura, aere, marmore effigiem ſuam publicare* [1]. Graeci potiſſimum hanc gloriam ſic ſtudioſe affectabant; ut de ea ſupremis tabulis caverent. Bina ſunt apud CICERONEM exempla certiſſima [2]. Alterum Apollodori Laprionis Haleſini, qui Dionis Filium heredem ſuum ſcripſit, juſſitque teneri ſtatuas in foro ponere: niſi poſuiſſet, Veneri Erycinae, cujus aedes in tota Inſula divitiis, & reliquo cultu erat omnium clariſſima [3], fore multandum. Alterum Heraclii Syracuſani, qui Patris ſui Hieronis teſtamento juſſus fuerat, ſigna dedicare in palaeſtra, ut pote loco Graecis inſigni, & frequenti. Quamquam Cenſorum, atque Imperatorum ſanctionibus, quibus ſtatuarum multitudo coercebatur, vereor, ne omnes Graecae Civitates poſtquam in P. R. poteſtatem conceſſerant, omnino paruerint: permultae enim liberum ſibi eſſe voluerunt veteres, patrioſque mores retinere, etſi Romanis legibus viderentur adverſari. Sane ex tot, tantiſque ſignis, quibus loca publica quotidie ornabantur, quis non ſentiat, nihil de priſcis inſtitutis apud illas fuiſſe mutatum? Nihilominus multo ſemper in Civibus honoratior, qui a publicis Magiſtratibus ſtatuam conſequebatur.

Locus alter in oculis hominum poſitus, praeter forum, atque palaeſtram ſignis rite conlocandis patebat, nimirum ſepulcrum, cui nonnumquam, dato epulo, ſtatuae imponebantur, adſignata etiam ſtipe pro illarum tuitione. Mitto LIVIUM, qui *Romae extra Portam Capenam in Scipionum monumento tres ſtatuas, quarum duae P., & L. Scipionum eſſe dicebantur, tertia Poetae Q. Ennii*, vidiſſe ſe perhibet [4]. Mitto alios

1 Dio *lib.* LIII.

2 *In Verrem lib.* II. §. VIII. & XV.

3 POLYBIUS *lib.* I. De Veneris templo in colle agri Haleſini, cui nomen Erix, de que illius celebritate egregie diſputavit nobiliſſimus, & doctrinae laudae commendatiſſimus amicus noſter GABR. LANC. CASTELLIUS, *Storia di Aleſa, antica Città di Sicilia cap.* VI.

4 *Lib.* XXXVIII. *cap.* LVI.

alios Latinarum, Graecarumque rerum deſcriptores, qui ſtatuas tumulis, ſarcophagis, cenotaphiis adjectas paſſim recenſent; quandoquidem novum aliquid hac etiam in re moliri me poſſe video incomparabilis SENAT. NANII ope, beneficentia, auſpicioque. Duo marmorea ſigna Nicopoli adinventa, quae ille in ſuum Muſeum pridem intulit, nunc oculis a me ſubjecta fidelibus, plus certe auctoritatis ad perſuadendum, habebunt, plus etiam oblectamenti ſunt allatura, quam caetera exempla omnia ex aliorum libris excerpta.

Ad



E. Nicopoli 1729. Utriusque signi eadem Alt. palm. Rom. 7. a

Ad unam eandemque gentem haſce ſtatuas pertinere, inque eodem familiari, ac communi monumento utramque fuiſſe collocatam, tituli utriuſque plintho inſculpti demonſtrant. Atque ſic connexae, copulataeque ſunt binae inſcriptiones, ut integer alterutrius ſenſus haberi nequeat, niſi ambae viciſſim conferantur. A priori praeſtat exordiri.

ΚΟ< ΑΛΒΙΔΙΟΝ< ΙΠΠΑΡΧΟΝ ΠΑΤΗΡ
ΦΙΛΟΤΕΚΝΟΣ ΑΝΕΣΤΗΣΕΝ
ΚΑΙ ΤΟΥ ΗΡΩΟΥ ΤΟΝ ΗΜΙϹΥ ΕΠΟΙΗϹΕΝ

Porro nota illa<, quae poſt litteras **ΚΟ** interjecta cernitur, pro lapidariae Orthographiae ratione indicio eſt, ab inſequentibus eſſe ſecernendas, quemadmodum nota eadem disjunguntur **ΑΛΒΙΔΙΟΝ**, & **ΙΠΠΑΡΚΟΝ**; atque duobus illis elementis procul dubio latet integrum praenomen **ΚΟ**ίντος [1]. Alterum praeterea eſt, quod praemonuiſſe juverit. Equidem vox illa Ἡρῷον, Ἡρῶον, Ἡρωΐον, Ἡρωεῖον (tot enim modis ſcripta reperitur), quae in tertio inſcriptionis verſu offenditur, primaevis etiam temporibus monumentum ſignificabat, ſed quod eſſet Heroi conveniens, atque in ſacelli, templive formam magnifice excitatum. Ita in Thucydidis hiſtoria τοῦ Ἀνδροκράτους ἡρῷον [2]; item apud Plutarchum τοῦ Εὐνόστου τὸ ἡρῷον [3]. Similiter Iamblichus, decem Pythagoreorum ab Eurymene interfectorum tumulos ἡρῷον πολυάνδριον appellat [4]. Quo etiam nomine a Dione donatur Auguſti ſepulcrum [5]. Verum latius patere ea vox coepit, atque pro quovis monumento, aut ſepulcro accipi deinde conſuevit: quamobrem Polluci alternant ἡρῷα, ἠρία, μνήματα [6]: neque aliam profecto vim, ſignificationemque habere illa poteſt

1 Adi Cl. Corsinum *Notae Graecorum pag. 37.*
2 *Lib.* XIII.
3 *Problem. Hellen.*
4 *In dict. Pythagor.*
5 *Lib.* XLV.
6 *Lib.* IX. *cap.* IV.

poteſt in privatorum hominum epitaphiis [1]. Ergo inſcriptio ita concipi, reddique poterit.

Quintum . Albidium . Hipparchum . Pater
Filiorum . amans . collocavit
Et . monumenti . dimidium . fecit.

At quis nam iſte **Πατὴρ φιλότεκνος**, qui ſuum heic nomen nequaquam adpoſuit? Notitia ex altera inſcriptione, meo judicio commodiſſime petitur. Habe illam.

ΑΛ ΕΥΦΡΟΣΥΝΑ
ΚΟ ΑΛΒΙΟΥ ΙΠΠΑΡΧΟΥ [2].

In hujus porro interpretatione eidem regulae, ac praeſcriptioni inſiſtendum eſt, qua in ſuperiore uſi ſumus, ut in duobus prioribus elementis ΑΛ totum nomen contractum credatur. Quoniamque parentum nomina quum liberis, vel adoptivis imponerentur, ſolebant interdum molliuſcule inflecti; uti ex *Caſſio*, *Vibio*, *Baebio* derivata ſunt diminutiva *Caſſidius*, *Vibidius*, *Baebidius*; ita ex *Albio*, *Albidius*. Igitur quum **ΕΥΦΡΟΣΥΝΑ** *Albio* patre progenita dicatur, ſiglae ΑΛ **ἀναλόγως** efferri, explicarique debere videntur. Scilicet: **Ἀλβιδία**. Sit itaque Latine.

Albidia . Euphroſyna
Quinti . Albii . Hipparchi . (Filia)

Atqui & *Albidius* nuncupatur *Albidiae* adjacens vir; utrique ergo idem fuit **φιλότεκνος** pater *Q. Albius*. Cujus nomen quum

---

1 *Marm. Arundellian.* XVII. & XXIII.

2 Nemo hominum, qui ſit in veteri ſcriptione aliquanto verſatus, ſtatim non deprehendet, legendum in ſecundo verſu ΑΛΒΙΟΥ, *jota* ſcilicet in O concluſo ⊙, pro quodam nectendarum litterarum arbitrio, quod Lapicidis per ea tempora uſuveniebat: nuſquam vero ΑΛΒΙΔΙΟΥ, quum duplicis I, atque Δ ne minimum appareat veſtigium.

quum jam in uno epigrammate (filiae nimirum , quae forte prior vitam cum morte commutaverat) deſcriptum fuiſſet , ſupervacaneum erat in altero iterare , rurſumque inſculpere . Praeterea cognomen **ΙΠΠΑΡΧΟΥ** , familiae *ἐπίσημον* , Albidio , & Albio in his marmoribus datum , nonne alterum ex altero prognatum oſtendit ? Quod ſi idem patri , natoque praenomen **ΚΟΙΝΤΟΥ** , tributum legitur , ut hic ab illo nonniſi diverſa nominis inflexione , terminationeque diſtinguatur ; alienum id quidem videtur a Latinorum conſuetudine , Graecis tamen haud inſolens , quibus non eadem ſemper certa , atque perpetua fuit nominum imponendorum ratio [1]. Quum autem hocce **ΙΠΠΑΡΧΩΝ** ſepulcrum , uti apparet, vere , ac proprie **ΗΡΩΟΝ** eſſet , ac propterea variis conſtaret aedificiis , conditoriis , ſignis , ornamentiſque , multa etiam epigrammata illic exſtitiſſe , nequit in dubitationem adduci . Quod ſi edax rerum tempus illa nequaquam vaſtaſſet , atque ab hominum oculis , conſpectuque ſubripuiſſet , facile ex aliquo alio marmore dilucide, certoque intelligi poſſet, qua ratione Q. Albidius Hipparchus dicatur *τοῦ ἡρώου τὸ ἥμισυ πεποιηκέναι* , & qui nam medietatem alteram addiderit . Sed in tanta rerum caligine , ſi quid ponderis habent monumenta noſtris perſimilia , Albidiorum matrem opus abſolviſſe crediderim . Nam in teſtamentaria inſtitutione Epitectae Spartanae [2] legere eſt , Phoenicum ipſius maritum *τὸ μουσεῖον , καὶ τὸ ἡρῷον* conſtruxiſſe pro defuncto filio Crateſilocho , ibique *τὸν ἀνδριάντα ἑαυτοῦ* collocaſſe ; ſed moriturum uxori commendaſſe , ut familiare monumentum perficeret , ornaretque: quod Epicteta ſtudioſe implevit , Andragora filio altero demortuo . Eodem ferme modo credibile eſt , Q. Albium inceptum a ſe in gratiam filiorum *ἡρῷον* , & ad medietatem uſque

1 Confer JOH. COLUMBUM *diſſert. Philolog. de Nominib. Hebraeor. Graecor. &c.* JOH. HENR. STUSSIUM *de impoſitione & mutatione nominum* . I. H. OTTIUM Ὀνοματολογία *&c.*

2 Singulare , hoc & auro contra aeſtimandum monumentum , alias jam editum , recudit , animadverſionibuſque illuſtravit SCIP. MAFFEIUS *Muſ. Veronen. pag.* XV. *& ſequ.*

perductum, uxori, aut alteri ex cognatis, poſteriſve abſolvendum reliquiſſe.

Quae quum tam certum, facilemque explicatum habeant, nemo umquam, ut arbitror, in Q. Albidii inſcriptione quidquam perſentiſcere poterit aliena manu ingeſtum, totumque tertium ipſius verſum ſerius exaratum ſuſpicabitur. Nec minor, majorve characterum forma, nec unius litterae varia in eodem lapide configuratio potis eſt id evincere. Centies a quadratariis in eodem epigrammate effingendo pro diverſa ſpatii capacitate aucti, vel imminuti fuerunt litterarum ductus. Quod vero in ea epigraphe τὸ σῖγμα diſſimiliter efferatur, modo nempe angulatum, modo curvilineum, nullam profecto injiciet dubitationem his, qui duplicem hujus elementi figuram in coaevis monumentis alternatim uſurpatam animadverterunt. Praeſto eſt luculentiſſimum ejus rei exemplum in decreto Abeatarum, quod in ſequenti paragrapho producetur: quo in marmore Σ, & C promiſcue occurrunt. Quis autem gemino ſtylo, aut diſpari aetate deſcriptum fuiſſe in animum inducet ſibi? Nihil de muliebri Euphroſynae ſtola, nihil de Q. Albidii toga, totaque re veſtiaria heic eloquar: ſunt enim haec omnium ſermone contrita, atque etiam proletaria. Certe Magiſtratum aliquem in Epiro obtinuiſſe, peregiſſeque Q. Albidium, indicio eſſe poſſunt liber in ſcapum convolutus, quem manu gerit, atque ſcrinium cum ſerra voluminibus condendis, ad ipſius pedes exſculptum. Data enim haec duo ſymbola a Statuariis artificibus non modo Philoſophis, & Poëtis &c. ſed viris Conſularibus crebro conſpicimus.

Sed quid cum Albidiorum ſtatutis commune habuit Baſſi ſimulacrum? Illae in familiae Nicopolitanae monumento erectae viſebantur, hoc in foro Epidauri proſtabat; illae a parentibus, privati amoris ergo, & naturali quadam animorum propenſione poſitae, hoc publicae exiſtimationis cauſſa, recteque factorum praemio a Senatu dedicatum. Vtriſque tamen communis fuerat religio quaedam, ac veneratio, ut neque iſtud, neque illas abſque piaculo, flagitioque

que ulli liceret ſede ſua dimovere, alienare, evertere, detruncare. Ad ſtatuas, quod attinet, quae ſepulcro addebantur, quum pars illius eſſe cenſerentur, intemerandae, religioſaeque evadebant, eamque ob rem poena violati ſepulcri lex caſtigabat, qui illas deturbare, aut confringere auſus eſſet [1]. In ſignis autem, quae vel cultus, vel aſſentationis, vel gratae mentis inſtinctu vivis decernebantur, diſtinguendae ſunt Imperatorum, Regumque imagines ab his, quas privati homines pro ſuis meritis ſunt conſequuti. Statuae Auguſtorum plerumque conſecratae; ideoque nedum tutiſſimum indipiſcebantur aſylum, qui ad illas confugiſſent [2], ſed ſaepe etiam ante illas thure, hoſtiiſque fuiſſe litatum perhibetur [3]. Sic proinde cultae, atque omnibus honoratae, ut Juriſconſultorum VENVLEI SATVRNINI [4], atque MODESTINI [5], reſponſis *lege Julia Majeſtatis* reus teneretur, quiſquis aliquid illis injurioſum patraſſet [6]. Qua in re praeſtantiſſimum exſtat monumentum, unde innoteſcit aliquando inſtatuarum baſibus diras fuiſſe inſculptas, quibus improba plebs a quavis illarum violatione prohiberetur. Signum marmoreum Fauſtinae Aug. Venetiis in Senatus Bibliotheca adſervatum heic appello, cui inſcriptum: πρὸς Θεῶν σοὶ μηδὲν ἀκρωτηριάσης

I 2 ἐνθάδε,

---

1 VLPIANVS *l. 2. ff. de ſep. viol.* PAVLLVS *lib. 1. Sententiar. de ſepultura, & lugendis.*

2 Ad ſtatuas Principum, qui confugiebant a poena, & periculo tuti erant. *L. quis ſit fugitiv. §. 12. de aedil. edict.* Memoratu dignum, quod PLINIVS ſcribit *epiſt. lib.* x. Decium Magium Campanum Cyrenas tempeſtate delatum, quum ad Ptolemaei ſtatuam ſe recepiſſet, vinculis fuiſſe liberatum.

3 Ad Auguſti, Caii, Tiberii, Sejani ſtatuas ſacrificatum tradit DIO *lib.* LVIII. *&* LIX. Idem ad pedes ſtatuae curulis Neronis, quae in Tribunali erat, praeſtitiſſe Tiridatem Armeniae Regem, auctor eſt TACITVS *Annal. lib.* XV.

4 *L. qui ſtatuas ff. ad leg. Jul. Majeſt.*

5 *L. famoſi §. 4. ff. eodem.*

6 MARCIANVS tamen monuit Severum, & Antoninum reſcripſiſſe, non videri contra Majeſtatem fieri, ſi Caeſaris ſtatua nondum eſſet conſecrata. *L. 7. ff. ad leg. Jul. Majeſt.*

ἐνθάδε, *per Deos tu ne quidquam hinc mutiles* [1]. Neque vero privatorum ſtatuae debito ſibi quodam honore fraudabantur. Nam etſi conſecratae haud putarentur, niſi Deorum patrocinio, tutelaeque eſſent commendatae, quemadmodum fuerat illa a Mitridate in Academia Platoni poſita, Muſiſque dicata [2]; compertum nihilominus eſt, leges, reſcriptaque Principum ſaepenumero in operum publicorum everſores animadvertiſſe; poſtulabat enim cum communis utilitas, tum Magiſtratuum auctoritas, ne quis in illa auderet inſultare. Jam vero quum Clarorum virorum ſtatuae, quae Senatus juſſu, Reipublicae ornamento, virtuti fovendae, munerandaeque, propalam ponebantur, in publicis operibus jure optimo haberentur, bonorum omnium, ipſiuſque Senatus majeſtatis intererat, illas nullo auſu laedi, disjici, mutilari. Reſervarat id ſibi ſuprema poteſtas [3], ut ſi quis poſt adeptum ſtatuae honorem maximo perduellionis, parricidii, veneficii, aliove graviſſimo ſe contaminaſſet crimine, ſtatuam illius, ſummae poenae, ignominiaeque cauſſa evertendam ediceret.

---

1 *Delle Statue antiche Greche, e Romane &c. tom.* 1. *tab.* XXV. Licet nonnullae ibi ſint evanidae, fugienteſque litterae, ſenſum hunc exſculpi oportere jam animadvertit CHRISTOPH. SAXIVS, *Lapidum vetuſtor. Epigrammata, & periculum animadverſion. pag.* 45. PHILOSTRATVS in vita Herodis Attici narrat, Rhetorem hunc eximium ſolitum fuiſſe Alumnis ſuis ſtatuas ponere, cum imprecationibus, diriſque, ne quis eas dejicere, vel loco ſuo movere praeſumeret.

2 LAERTIVS *in Vit. Plat.* Gymnaſia, Academiae, Bibliothecae cum penes Graecos, tum Latinos ſtatuis, imaginibuſque doctorum hominum Philoſophorum, Poetarum, Oratorum, Medicorum, Juriſconſultorum ornari conſueverunt. Ne protrita auribus eruditorum inculcem, indicaſſe, nominaſſeque ſufficiet CVPERVM, *Apotheoſis, ſeu conſecr. Homeri pag.*2. FIGRELIVM *de Statuis cap.* XXIV. J. N. FVNCCIVM *de Scriptura Veterum cap.* VIII. *de Bibliothecis*. I. DAV. SCHREBERVM *de Imaginibus viror. Bibliothecar. ornamento &c.*, a quibus copioſe haec ſunt pertractata.

3 MODESTINVS Ictus *l.*24. *ff. de poenis, de ſtatuis damnatorum*. Vide praeterea reſcriptum Arcadii, & Honorii Augg. *Cod. Theodoſ. de poenis l.* 17. Eadem apud Graeciae Civitates conſuetudo obtinuit. Conſule DIONEM CHRYSOSTOM. *Orat.* XXXVII. Ita apud Centuripinos demolitio ſtatuarum Verris juſſu, atque interventu Senatus, populique facta traditur a M. TVLLIO. *Verr.*1I.

ret . Igitur privatorum etiam ſigna publice conlocata nemini non obſervanda, atque reverenda. Quae quum ita ſint, ſtatuam Baſſo Alcidis Filio , vel ex Heraclidarum ſtirpe , ob ingentia in patriam merita , a Senatu , Populoque Epidauri in foro poſitam , civibus in honore fuiſſe apparet , nec niſi temporis longinquitate , aut a barbaris gentibus omnia ferro , & incendio vaſtantibus direptam , atque conciſam .

§. V.



EX·AERE
OCVLIS·LABIISQVE·ARGENTEIS

§. V.

ΘΕΩΝΒΟΥΛΑΙΟΝΑΝΑ
ΚΤΩΝ.

Θεῶν Βȣλαῖον Ἀνάκτων.

HOc etiam ad ſummas, juſtiſſimaſque Baſſi laudes accedit, quod arduum, illuſtre, & qua juris ſcientia pervenit, qua ſe certa aliqua regiminis forma infudit, perhonorificum Consiliarii munus adminiſtraverit, feliciterque expleverit. Nulli profecto Reipub. plus utilitatis afferre, hominumque ſocietatis commoda ſanctius tueri videbantur, quam Conſiliarii, comites, adſeſſoreſque dati his, qui Magiſtratum praeſertim Provincialem capeſſebant; hae enim erant illorum partes, ut in rebus dubiis enucleandis, in dolis retegendis, in ferendis ſententiis, in controverſiis finiendis, judices conſilio, prudentia, aequa legum interpretatione juvarent [1]. Adeo vero oportebat illos juris ſtudioſos, cordatoſque eſſe, ut ſi Magiſtratus ex eorum judicio, hortatuque quidpiam male, & contra fas ſanxiſſet, totum id Conſiliariis crimini verteretur, atque ipſi, non judices in culpa tenerentur [2]. Et ſane ſi Conſiliarii auctoritas, teſtante Pavllo [3], *in cognitionibus, poſtulationibus, libellis, edictis, epiſtolis conſtabat*; ſortes, ſpes, rationes, fortunaeque omnes Clientum, populorumque in illius arbitrio poſitae eſſe videbantur. Si actio a Praetore, vel Praefecto danda, negandave erat, ſi lex aliqua promulganda, ſi Legatorum conſultationibus

1 De Conſiliarii officio ſatis copioſe, eruditeque Cvjacivs *Obſervat. lib.*xxiii. *cap.ult.* Pancirolvs *Notitia dignit. utriuſque Imperii c.* viii. Gothofredvs *ad Cod. Theodoſ. lib.*i. *tit.* xii. Gvthervs *de Officiis Domus Aug. lib.* i. *cap.* xviii. Campianvs *de Magiſtrat. Rom.* cxxxvii. *de Off. Adſeſſor.*

2 Adi Vinnivm *ad §. Si Judex de Obligat. quae quaſi ex delicto naſcuntur.*

3 *Lib. ſingular. de Offic. Adſeſſoris.*

nibus reſpondendum, Conſiliarii ſententia, ductu, judicatoque ſuo Senatui, aut Principi praelucebant: ideoque uti decebat illos legibus, majorum inſtitutis, conſultis, ſcitis, juſſis, rhethris, placitis omnibus eſſe eruditos, ita aliquo poenae metu in officio contineri. Graecae nonnullae civitates, ut decreta majori quodam vallarent munimine, ac firmamento, illa ex Conſiliariorum conſenſu edidiſſe profitebantur. Sic in Delphorum pſephiſmatis legitur [1]:

ΒΟΥΛΕΥΟΝΤΩΝ
ΑΓΙΩΝΟΣ ΑΡΙΣΤΟΜΑΧΟΥ
ΕΥΔΩΡΟΥ ΑΛΕΞΑΡΧΟΥ.

Conſiliariis Agione Ariſtomachi f. Eudoro Alexarchi f. Rurſum:

ΒΟΥΛΕΥΟΝΤΩΝ ΤΑΣ ΠΟΛΙΟΣ
ΕΠΙΝΕΙΚΟΥ ΣΩΚΡΑΤΟΥ ΑΥΤΟΛΥΚΟΥ &c. [2]

Conſiliarios civitatis agentibus Epinico, Socrate, Autolyco &c.

Sed quoniam publica tranquillitas, rectaque imperii adminiſtratio interdum poſcebat, ut ipſi Principes, qui rerum ſumma potiebantur, multa per ſe, atque ſuprema ſua auctoritate expedirent, aut praecaverent; conſuetudo pene cum ipſo imperio nata eſt, ut ſuos ſibi ad id adſciverint Conſiliarios. Adſedit in judiciis ferendis Trajano Juriſconſultus Neratius [3], Hadriano Salvius Julianus [4], Antonino Pio Vulpius Marcellus, Vinidius Verus, Voluſius Mecianus [5], M. Antonino Crebidius Scaevola [6], Alexandro Severo Vlpianus, Paullus [7] &c.

Ex

1 MVRAT. *Nov. Theſaur.* DLXXXVIII. 2.
2 Idem DXCIII. 1.
3 SPARTIANVS *in Hadrian.*
4 *Ibidem.*
5 CAPITOLINVS *in Antonin.*
6 Idem.
7 LAMPRIDIVS *in Alex. Sever.*

Ex quibus intelligi neceſſe eſt, nullum apud Epidaurios fuiſſe Civem, qui juris intelligentia, honeſtate vitae, famae celebritate, honore, gratia poſſet ſe Baſſo anteferre, quandoquidem ſic excellens, doctus, ſapienſque eſt habitus, ut non Provincialis Magiſtratus, non Civitatis, non unius Caeſaris, ſed plurium Auguſtorum a Conſiliis fuerit. Qui enim heic ἄνακτες, *Reges* metri gratia appellantur, Romanos aliquos Imperatores exſtitiſſe, non eſt dubitandum. Namque ut ex marmoris ſcriptura, ex characterum forma, ex ſtatuae dedicatione invicte colligitur, Baſſi aetas nec ad ultimam illam antiquitatem revocari poteſt, quum Epidauriorum res in Argivorum Regum poteſtate erant, nec ad infima ea tempora detrudi, quibus Reguli Graeciam, Peloponneſumque partite occuparant. Nec ego, ut opinor, erravero, ſi Trajani, Hadrianique temporibus hunc Augg. Conſiliarium claruiſſe dixero. Vterque hic Imperator de optimo Graecarum Civitatum ſtatu mirifice ſollicitus, multa pro illarum commoditate, beneficio atque ſplendore ſanxit, reſcripſitque. Vtrique a Graecis populis tot poſita ſunt honoris, grataeque mentis ergo publica monumenta, ut nullos prae illis liberaliores, ſuique ſtudioſiores ſenſiſſe videantur. Vterque demum recti, juſtique ſic amans, ut in Repub. tractanda, curandaque legumperitos in conſilium libentiſſime adhibuerit. Quid igitur factu fuerat pronius, quam ut uterque, quum de Graecorum rebus erat deliberandum, Baſſi ſententiam exquiſierit, quem ob hauſtam cum ſanguine nobilitatem honeſtum unice ſpectare credi poterat, quique quum apud ſuos plurimum auctoritate valeret, ingenium videbatur a natura, fortunaque accepiſſe ad Conſiliarii munus appoſitiſſimum? Mire autem, planeque cum aliis Graecis marmoribus conſentit magnifica illa, vel potius veſana appellatio ΘΕΩΝ, qua hoc in noſtro Imperatores donantur. Mileſii primum Antiocho II. poſtquam urbe, & agro exterminaverat Timarchum Tyrannum [1], tanto beneficio devincti eam tribue-

1 APPIANVS *in Syriacis*.

tribuerunt: quae Antiocho ſic deinde inhaeſit, ut non modo in numiſmatis [1], ſed in Smyrnaeorum decreto [2] Θεὸς ſit cognominatus. Atque, ut ſaepe fit, eo proceſſit aſſentatio, ut idem ſplendidiſſimus titulus aliis inter Seleucidas Regibus ſit datus, Antiocho IV., Demetrio Philopatori, & Demetrio Philadelpho [3]. Increvit adhuc vel in Principibus intolleranda immoderati honoris cupiditas, vel in populis turpe blandiendi ſtudium: Cleopatra enim Antiochi Magni filia, & Ptolemaei Epiphanis uxor, dum regnum tamquam tutrix adminiſtraret, ejuſque filius Ptolemaeus Philometor *Dii Magni* in inſcriptione Apollopolitana nuncupantur [4].

ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ . ΚΛΕΟΠΑΤΡΑ
ΚΑΙ . ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΣ . ΘΕΟΙ . ΜΕΓΑΛΟΙ . &c.

Ex Syria, & Aegypto in Graeciam univerſam adulatio propagata eſt. *Dei* namque nomine a Rhodiis appellatus fuit Ptolemaeus Lagi F., ab Athenienſibus Demetrius Poliorcetes [5]. Quid ni Graeci in effuſiſſimas laudes ſemper proni hoc ipſo illuſtri praeconio Imperatores ſuos in publicis monumentis nominarent? Ne quid de urbium Graecarum moneta eloquar, in qua Pergamenſes Octavianum **ΘΕΟΝ ΣΕΒΑΣΤΟΝ** appellarunt [6]; Mytilenaei Tiberium, & Liviam, Germanicum, & Agrippinam eodem inſigni agnomento honeſtarunt [7], ſcriptos lapides adiri jubebo, quorum teſtimonio liquet, Heracleenſes Neroni, Laodicenſes Veſpaſiano, Sar-

1 Vid. *Numiſmata Muſei Florentini tom.* I.

2 Inter *Marmora Oxonienſia*.

3 FROELICHIVS *Annal. Rerum, & Regum Syriae tab.* IX. & X.

4 Edita primum haec inſcriptio in libro *Novelle Bibliotheque tom.* XV. Doctiſſimus Divionenſis Senatus Praeſes BOVHIERIVS eam emendavit in epiſtola ad HAGENBVCHIVM. Vide inter *Epiſtolas Epigraphicas ejuſdem Hagenbuchii pag.* 100. Alteram huic ſimillimam vulgavit RICHARDVS POCOKIVS *in Itinerario Anglico pag.* 277.

5 Vide SPANHEMIVM *de Uſu, & Praeſt. Numiſ. Diſſert.* VIII. §. 3.

6 Apud HARDVINVM *Oper. ſelect. pag.* 15.

7 *Penes* ANDR. MORELLIVM *Specimen Rei Nummariae tab.* XV. & XX

dianos Trajano, & Hadriano ſacratiſſimam ΘΕΟΥ appellationem tribuiſſe [1]. Quin etiam ſummam illam Aegyptiorum Regum arrogantiam, illum Aſiaticum faſtum aemulati ſunt Severus, & Antoninus, qui in reſcripto ad Smyrnaeos **ΟΙ ΘΕΙΟΤΑΤΟΙ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΕϹ** dicuntur [2]. At hic ampliſſimus honor, haec ſuperba appellatio Romanis Imperatoribus conceſſa plerumque fuit, antequam per conſecrationem inter Divos eſſent relati, ſideribuſve recepti haberentur: quod qui non admodum attendunt, differentiam, quae eſt inter **Θεὸν**, & **Θεῖον** [3], in Auguſtorum titulis minime animadvertunt. Interim perſpicuum ſit illud (ne hunc locum diutius urgeamus) congruere cum totius Graeciae dictione, ac ſtylo Epidauriorum pſephiſma, in quo Imperatores, penes quos Baſſus Conſiliarium egit, **Θεοὶ ἄνακτες** vocantur. Quod ſi nobis complectenda in hac diſputatione tota cauſſa eſt, quaerendum relinquitur, ubi nam gentium Baſſus hoc munere ſit defunctus. Epidauri hoc inviſſe, obtinuiſſeque officium, mihi certiſſimum videtur. Nam ſi in Vrbem aeternam ab Auguſtis, diviſque Principibus in conſilium fuiſſet accitus, aut eos hujus rei gratia comitatus, quum imperium peragrarent; tantum celebritatis, ſplendoriſque exinde acceſſiſſet Baſſi nomini, ut ab auctore inſcriptionis commemorari procul dubio debuiſſet. Proinde quum totum epigramma ad publicam Epidauri rem referatur, vera, expeditaque interpretatio erit, Trajanum, & Hadrianum, quoties de gravi Epidauriorum controverſia cognitione, ſententiaque erat tranſigendum, vel edictum aliquod in eorum commoditatem promulgandum, vel denique illorum poſtulationibus, libellis, epiſtolis reſcribendum, Baſſum ut pote juris,

---

1 Habes ejuſmodi lapides ad calcem Itinerarii SPONII *Voyage &c. tom.* I. *tit. Heracleae Laodiceae*, *Sardis &c.*

2 *Ibidem* in inſcript. Smyrnenſi. Rurſus in inſcript. Thyatirae M. Aurelius Severus Antoninus appellatur ΘΕΙΟΤΑΤΟϹ.

3 Multa in hanc rem ſcripto mandavit clariſſimus SEBASTIANVS PAVLIVS in libello: *Ragionamento ſul titolo di Divo dato dagli antichi agl' Imperatori.*

juris, rerumque patriarum ſcientiſſimum, atque etiam aequiſſimum judicem interpellaſſe, ut revera Θεῶν ἀνάκτων a conſiliis fuiſſe merito affirmetur. Equidem non ſum neſcius PESCENIVM NIGRVM lege caviſſe, ne quis in ſua provincia, aut civitate adſeſſoris, Conſiliariique munus exerceret [1]; cujus edicti ratio a PAVLLO tacta eſt: *ne apud ſuos calumnioſus, aut gratioſus videatur* [2]. Idcirco tranſlato Conſtantinopolim imperio, mos invaluit, ut ex Beritho juris ſtudioſorum nutricula Conſiliarii, judicumque adſeſſores frequentius evocarentur [3]. Sed omnis haec difficultas verbo uno repellitur. Nam obſervatum ſaepius eſt a viris Juriſconſultiſſimis ex hoc ipſo NIGRI interdicto patere, licuiſſe ante id tempus Civem, Provincialem, Peregrinum in Conſiliarium pro arbitrio, libereque accire. Licuit ergo & Baſſo id muneris in patria obire, atque integritate ſua eximiam eam laudem promereri, qua Senatus Thyatirae M. Aurelium Diadochum Hippium honoravit, qui in urbis lapide dicitur **ΤΗϹ. ΠΑΤΡΙΔΟϹ. ΔΙΑ. ΒΙΟΥ. ΒΟΥΛΑΡΧΟϹ.** [4]

Huic autem muneri vacabant ne dum homines illuſtri loco nati, Equiteſque Romani, ſed etiam ipſi Imperatores, qui rerum ſummam jam adepti non modo jus dixerunt, ſed Magiſtratibus juſdicentibus ſe ipſos *Conſiliarios* praebuerunt. Praeſtantiſſimus, & expreſſiſſimus eſt SVETONII de Tiberio locus. *Magiſtratibus pro tribunali cognoſcentibus plerumque ſe*

 offe-

1 SPARTIANVS *in Peſcenio*. Spatium tamen quatuor menſium ad id muneris in patria exercendum concedebatur ex Conſtitutione ARCADII, & HONORII *Cod. Theodoſ. l. c.* PAPINIANVS *lib.* I. *Reſponſorum* aſſerit, non prohiberi virum ejuſdem civitatis in conſilium adſidere curatori Operum Publicorum. Eſt item in *Codice Juſtinianeo lib.* I. *tit.* XLI. praeſcriptum, ut cuivis patriae adminiſtratio concedi poſſit, ex ſpeciali Principis permiſſu.

2 *Lib.* V. *Sententiar.* 12.

3 V. GOTHOFREDVM *ad deſcriptionem totius Orbis per Anonymum Geographum factam cap.* XVII. §. III. *in tom.* II. *Antiquitatis illuſtratae* SCHELSTRATII. Item CASPAR. BARTHIVM *Not. ad* ZACHARIAM MYTILENAEVM *de Opific. Mundi pag.* 244.

4 SPONIVS *ubi ſupra*.

offerebat CONSILIARIVM, *adſidebatque juxtim, vel ex adverſo in parte primori* [1]. Similiter de Claudio ſcripto prodit: *cognitionibus Magiſtratuum ut unus e* CONSILIARIIS *frequenter interfuit* [2]. Quibus adjungendus Hadrianus, de quo DIO CASSIVS: **τοῖς ὑπάτοις ἔστιν ὅτε δικάζουσι συνεγίγνετο**, *Conſulibus interdum, quum jus redderent, adſidebat* [3]. Quae porro locupletiſſima hiſtoricorum teſtimonia viam nobis tutiſſime ſternunt, aditumque patefaciunt, ut Peloponneſiacam aliam inſcriptionem male hactenus ſollicitatam felicius, veriuſque interpretemur. Proſtabat haec quondam Corcyrae affixa parieti Theatri, unde anno ſuperiore opera CL. JACOBI NANII Claſſis Venetae Trierarchi in familiae muſeum inlata fuit.


ΑΔΡΙΑ-

---

1 In Tiberio *cap.* XXXIII.
2 In Claudio *cap.* XII.
3 DIO CASSIVS, ſive XIPHILINVS *in Hadriano*, ſeu *lib.* LXIX.



Ex Aere duplo majori.



Quae ſic interpungenda . & in Latinum tranſmittenda eſt

'Αδριανȣ͂ · Βȣλαίȣ

'Αυτοκράτορα · Καίσαρα · Σεβαςὸν
Τραϊανὸν · 'Αδριανὸν · Θεȣ͂ · Τραϊανȣ͂
Υἱόν · Θεȣ͂ · Νερβᾶ · Υἱωνὸν · Ὕπατον
τὸ · γ· ἡ· πόλις · τῶν · Αβεάτων · κατὰ
τὸ · τῶν · Αχαίων · δόγμα · ἀνέθηκε
ἐπὶ · Γραμματέος · Δάμωνος · τȣ͂
'Αριςέα ·

Adria-

Adriani . Conſiliarii (Signum)

Imperatorem . Caeſarem . Auguſtum
Traianum . Hadrianum . Dei . Traiani
Filium . Dei . Nervae . Nepotem . Conſulem
Tertium , Civitas . Abeatarum . Juxta
Achaeorum . Decretum . Dedicavit
Sub . Scriba . Damone (filio)
Ariſteae .

De qua priuſquam quidquam commentari aggrediamur, animadvertendum quot mendis hoc marmor innocue adſperſerit vir caetera & acri ingenio, & ſumma doctrina MONTFAVCONIVS [1].

Pro Ἀδριανȣ̃ Βȣλαίȣ, duabus litteris Λ, & A in unam compactis, edidit ΑΔΡΙΑΝΟΥ ΒΟΥΜΙΟΥ, *Hadriani Bumii*: quod qui tibi explicaverit, hunc vatem habeto maximum.

Error etiam ei excidit in numerali Conſulatus nota; ſiquidem pro Γ. ſcripſit E. ideoque monumentum poſitum putavit Hadriano Cos. V.

Sed nihil longius a vera marmoris lectione diſſidet, quam depravatiſſima interpunctio verborum ἀνέθηκε ἐπὶ Γραμματέος Δάμωνος, quae MONTFAVCONIVS ſic diſtinxit, atque exhibuit: ΑΝΕΘΕΚΕ ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ-ΕΤΕΟΣ ΔΑΜΩΝΟΣ, *poſuit inſcriptionem anno Damonis*.

Condonanda tamen haec ſunt docto viro, qui non ex autographis, ſed ex ſibi traditis aliorum ſchedis inſcriptionem vulgaſſe, profitetur. Illud potius mirabile videri poterit, celeberrimum CARD. QVIRINVM, qui diu Corcyrae fuerat, dum urbis illius primordia, monumentaque recuderet, ſphalmata, quae in Diario Italico irrepſerant, ad fidem ipſius marmoris, quod in oculis civitatis erat poſitum, nequa-

1 *Diarium Italicum*, *ſive Monumentor. Veterum Notitiae Singulares cap.* XXVIII. *Inſcriptiones Corcyreae ex dono Ap. Zeni num.* 19.

quaquam emendaſſe [1]. Age jam, & quid inſcriptio portendat, diſquiramus.

Ac primo exploratum, & luce mera clarius exiſtit, ejuſmodi monumentum nullo modo *Abis* Phocidenſium adſcribi poſſe, bene vero *Abeae* Meſſeniorum eſſe tribuendum, quandoquidem non *Abaei*, ſed *Abeatae* illud dedicaſſe dicuntur. Omnem errandi, ambigendique anſam ſuſtulit Stephanvs, ὁ ἐθνικογράφος, omnium in id genus definitionibus auctor probatiſſimus; ſcriptum quippe reliquit: Ἄβαι πόλις φωκικὴ ἀπὸ τῆς εὐθείας ἑνικῆς τῆς Ἄβη .... τὸ κτητικὸν Ἀβαῖος καὶ τὸ ἐθνικὸν, *Abae civitas Phocidis a nominativo ſingulari Abe ... Hujus poſſeſſivum, & gentile Abaeus* [2]. Pari ratione qui Abas incolebat, Ἀβαῖοι a Pavsania conſtanter nominantur [3]. Contra vero, qui Ἀβίαν [4], vel ut rectius a Ptolemaeo nuncupatur Ἀβέα [5], ad ſinum Meſſenicum inhabitabant, *Abeatae* appellati ſunt [6]. Ergo quum in marmore perſpicue legatur, ΠΟΛΙΣ ΤΩΝ ΑΒΕΑΤΩΝ, non autem ΤΩΝ ΑΒΑΙΩΝ, niſi recta, & optima ἐθνικῶν ὀνοματοθεσία funditus pervertatur, neceſſe eſt, ad Abeatas Meſſeniae, non ad Abaeos Phocidis inſcriptionem referre. Nec ab ſuſcepta animo ſententia recedere jubet tenuiſſima quaedam veri ſpecies, quae ex beneficiis ab Hadriano in Abaeos collatis videtur affulgere. Erat Abis nobiliſſimum Apollinis templum, cui Imperator aedem adjecit [7], porticumque ibidem erexit, quae de ipſius Hadriani nomine eſt appellata [8]. Sed quid iſthaec

1 *Primordia Corcyrae edit.* II. *cap.* XXII. *pag.* 186.
2 *De Vrbibus litt. A.*
3 *In Phocic. ſive lib.* X. *cap.* XXXV.
4 Pavsanias *in Meſſenicis ſive lib.* IV. *cap.* XXX.
5 *Lib.* III. Πελλοποννήσου Θέσις.
6 Plinivs *lib.* IV. *cap.* VI. qui tamen in Arcadicis illos conſtituit. Contermina quidem Abea Arcadiae, ſed intra Meſſeniae fines coarctanda. Quod in Strabone *lib.* V. occurrit: Ἀβίαν Ἀρκαδικὴν, norunt eruditi viri emendandum Ἀσίαν.
7 Pavsan. *l. c.*
8 Ibi.

haec cum marmoris inſciptione, titulove, Ἀδριανῦ βυλαίυ, a quo, niſi praepoſtere interpretemur, totius explicationis exordium eſt ſumendum, repetendaque dedicationis cauſſa? Quod autem ab eodem PAVSANIA traditur, Romanos gratiſſimam mortalibus αὐτονομίαν Abaeis indulſiſſe [1], tantum abeſt, ut inter Hadriani beneficia numerari queat, ut imo id longe antea accidiſſe ex ipſa pateat Graeci peregrinatoris narratione. Sed quid tam praeclari Abeatis contulit Hadrianus, ut Civitas ſignum, ac titulum ei decerneret, in quo praeſertim CONSILIARII nomine inſigniret? Fortaſſe ex variis illius geſtis proſpicere, conjectarique licebit.

Illud maxime a Biographis laudi vertitur Hadriano, quod multas ſuſceperit peregrinationes [2], quas etſi difficile ſit, ut rectiſſime adnotavit REIMARVS [3], ordine enarrare, aut per tempora diſtribuere, attamen virtutis, ſapientiae, laborum, beneficiorumque ipſius teſtes eſſe comperimus. Namque animo propoſitum unice habuiſſe videtur, quemadmodum diſerte, accurateque narrat ex DIONE XIPHILINVS [4], ut qua publicis excitatis aedificiis, portubus, aqueductis, qua annona large corrogata, qua immunitatibus, honoribuſque tributis, qua vectigalibus remiſſis populorum felicitati conſuleret. Ac caeterorum Principum providentiam, liberalitatemque tantum eſt praetergreſſus, quantum vel minima oppida, quae nullus Auguſtorum inviſerat, praeſentia ſua ſolari, & bene factis cumulare ſtuduit. Hinc vix ulla urbs fuit ſive in Macedonia, Thracia, Achaja, Epiro, Arcadia, ſive in circumpoſitis Inſulis, cui aeris cudendi jus conceſſum, quae beneficiorum memor Hadriani effigie pecuniam non ſignaverit. Nec civitates modo, ſed communia

---

1 *Ibidem*.

2 SPARTIANVS *Hadrian.* c. XIII. EVTROPIVS *lib.* VIII. *cap.* III. VICTOR *Epit.* XIV. §. 4.

3 Ad DIONEM *lib* LXIX. §. 72.

4 Libro mox indicato.

nia gentis, populique Concilia nummos in illius honorem percuſſerunt [1]. Quis autem in tanto urbium, oppidorumque numero, quas ille munificentia ſua juvit, ſatis perſpicue ex noſtro lapide non intelligat, Abeam eſſe recenſendam?

Verum inter graviſſima illa privilegia, quae Graecis civitatibus Hadrianus largitus fuit, multa procul dubio ſolerter cognoſci, diſquiri, expendi, & ad communis, vel Municipalis juris praeſcripta, edictaque exigi poſtulabant, ne non aequa, ſancta, inviolandaque haberentur: ideoque Romani Senatus, vel Provincialis alicujus Magiſtratus ſuffragio ea probari, collaudarique par fuerat. Quandoquidem vero aequiſſimus hic Imperator, uti paullo ſupra retulimus, Senatui, Conſulibus, aliiſque rerum publicarum adminiſtratoribus de impediciſſimis, ſummiſque negotiis deliberaturis adſidere conſueverat, his CONSILIARIVM ſe praebere, & inter Patres Conſcriptos ſuffragium ferre, facile interventu, conſilioque ſuo auctor eſſe potuit Senatui, ut quod Abeatis concedendum apud ſemetipſum conſtituerat, ille concordi adſenſu roboraret. Atqui conſuetudo obtinuit, ut Civitates alicujus Principis nomini, majeſtatique peculiariter devotae illius imagines eo geſtu, habituque praeſertim effingerent, quo acta ab Imperatore, unde utilitatem aliquam perceperant, oculis vividius exhiberentur. Ita ſi apud illas Princeps, ludos ediderat, atque in his ſtrenue concertaverat, ſignum illius athletico veſtitu induerunt. Si ſacra curaverat, reique divinae ſollemniter fuerat operatus, Pontificis inſignibus ornarunt. Si acie feliciter contenderat, hoſteſque devicerat, more triumphantium ſculpi, repraeſentarique fecerunt &c. Quid itaque probabilius, quam ut Abeatae, qui adeptum inſigne aliquod beneficium Hadriano ſe debere intelligebant, ſtatuam illi decreverint, quae eſſet munificentiae, inſimulquae conſilii illius monumentum? Quae ſtatua Imperatorem eo geſtu, modoque referre debuit, quo ille in

1 N[illegible] unt nummi Hadriani cum lemmate ΚΟΙΝΟΝ ΚΡΗΤΩΝ. ΚΟΙΝΟΝ ΒΕΙΘΥΝΙΑΣ.

Senatum, vel apud Conſules officia, parteſque CONSILIARII ſuſcipiens acceſſerat. Quia vero id non ſatis dilucide demonſtrare poterant ſedis curulis, togae, voluminis, ſcrinii emblemata, aliaque Senatoria inſignia, addita fuit epigraphe ΑΔΡΙΑΝΟΥ ΒΟΥΛΑΙΟΥ: quae ſic ſolitarie poſita nonniſi vim aliquid declarandi habere dicenda eſt. Quid autem illa declaret, niſi ſuperpoſitae imaginis actionem? Caetera jam pergo explicare.

Abeatae ſtatuam Hadriano dedicaſſe dicuntur *κατὰ τὸ τῶν Ἀχαιῶν δόγμα*. Ex quo caeteroquin haud conſequitur, Abeam in Achaja ſitam fuiſſe. Equidem Romani Graeciam univerſam in duas provincias tribuerunt, *Macedoniam*, & *Achaiam*, qua poſtrema tota *Hellas* continebatur; unde duplex diſtinguenda Achaia, *κυρία*, & *ἀκυρία*. Si hanc diviſionem ſequi libeat, in Achaiam late dictam Abea migrabit. At quamvis in Meſſenia conſtituatur, nihil id impedit, quominus in *Corpore Achaico* contineretur, atque adeo illius Concilio, juſſionibus, dogmatis eſſet obnoxia. Recte enim, ſapienterque animadverſum jam eſt a ſummo, excellentique viro MAZOCHIO [1], Graecanicarum regionum *Συςήματα*, *Corpora*, in quibus majori alicui Reipubl. minores aliae ſuberant, ſic fuiſſe ordinata, ut non tota ex finitimis, viciniſque civitatibus coaleſcerent, ſed interdum urbis principis dominatus in loca longinquiora porrigeretur, & oppida contributa hac illac eſſent diſſeminata. Id potiſſimum in *Communi Achaeorum* accidiſſe ex PLUTARCHO, POLYBIO, LIVIO [2] colligitur. Hujus quippe corporis celeberrima *Συνέδρια* [3], *Πανη-*

1 *Ad Tabulas Heracleenſes Diatriba I. de Magna Graecia cap.* v. *ſect.* 11.

2 Piget loca exſcribere, quae nos plus aequo a ſuſceptae ſcriptionis inſtituto deducerent. Omnia propemodum indicavit illuſtris SPANHEMIUS, *Orbis Romanus Exercitatione* II. *cap.* XVI.

3 Ita a priſcis ſcriptoribus ob ordinatam illorum formam, & graviſſimas conſultationes celebrantur, ut caeteris Graeciae Conciliis inſtituendis, cogendiſque exemplo fuiſſe videantur. Plura de Achaicis Conventibus tum EMMIUS *de Republ. Achaeorum*, tum THEODOR. SI-GEFR.

Πανηγύρεις, Σύνοδοι, Κοινοβουλία indicta fuerunt, ne dum Aegii, & Corinthi, quae duo oppida ad ipſam Achaiam ſpectabant, ſed Sicyone, & Argis Peloponneſi, imo Tegeae, & Megalopoli, quae in Arcadiae finibus concludebantur; ut nequeat ambigi, Σύστημα τῶν Ἀχαιῶν ex diſſitis admodum inter ſe civitatibus conſtaſſe. Vti ab Arcadia Meſſenia, ita a Megalopoli Abea, non tam magno removebatur intervallo, ut non poſſet ad corpus Achaicum commodiſſime pertinere. Jam vero quoniam Κοινοβουλία de graviſſimis cujuſque gentis negotiis conſultandi gratia cogebantur, prope evidens fit, Abeatas collata ſibi ab Hadriano beneficia cum ſociis populis communicaſſe, & gratam illius erga optimum Principem voluntatem ſic univerſo Concilio placuiſſe, ut monumentum memoriae cauſſa ab Abeatis ponendum δόγματι, decretoque ſuo probaverit. Et ſane quid ni Achaica Synodus probaret celebrari a ſociis civitatibus munificentiam, liberalitatemque Principis, qui erga Achaeos tantopere ſe benevolum praeſtiterat, qui nullam omnino rem, quae ad illorum laudem ſpectaret, praetermiſerat, qui illos praeſentia ſua [1] bearat, qui denique in nummis RESTITVTOR ACHAIAE voluit appellari [2]?

 De-

GIFR. BAYERVS *in Faſtis Achaicis* illuſtravit. (*Tom.* V. *Commentar. Academiae Petropolitanae*) Si tamen quae de Concilio Amphyctionum ex probatiſſimis auctoribus excerpta traduntur a STEPHANO *de juriſdictione Graecor. cap.* VI., SIGONIO *de Republ. Athen. lib.* II. BOECLERO *de Senatu Amphyctionum* conferantur cum his, quae in Achaico gerebantur, hoc inſtar illius fuiſſe deprehendi poterit; ut quemadmodum Synodum Amphyctionum caetera Concilia Graecorum tempore anteceſſiſſe conſtat, ſic forma omnibus praeluſiſſe appareat.

1 De eo SPARTIANVS l. c. *per Aſiam, & Inſulas in Achajam navigavit*.

2 Numquid hoc lemmate beneficia non in Achajam proprie dictam, ſed in Graeciam univerſam collata concluduntur? Ea porro in Provinciae formam redacta, quanta illa erat, Achajae nomine a Romanis donabatur; & qui Provinciae adminiſtrandae, regendaeque Roma illuc mittebatur, Praetor Achaiae nuncupabatur, Achaeis Hellados principatum tenentibus. Verum quandoquidem ex multis, magniſque rebus certo conſtat, Hadriano imperante, Achaiam tunc Romana lingua veram, & meram Graeciam, liberam adhuc exſtitiſſe, ejuſdemque Vrbes, ac Corpora ſuos Magiſtratus, & Conventus

Debuit profecto ejuſmodi dogma, quemadmodum caetera Acta publica, in tabulas per SCRIBAM referri, cujus partes fuerant decreta, Senatus conſulta, Plebiſcita deſcribere, cuſtodire, & veritati teſtificandae pro re nata producere [1]. Licet Γραμματεῖς a principio inter minores Reipub. officiales cenſerentur, in tantam deinde venerunt dignitatem, ut in Magiſtratibus ἐπωνύμοις numerarentur [2]. Fuerunt qui Senatus, qui Populi, qui Civitatis, qui Proconſulis dogmata, decretave in actorum codice deſcriberent: memoranturque in vetuſtis monimentis γραμματεῖς τῆς βουλῆς, τοῦ Δήμου, τῆς Πόλεως,

---

ventus habuiſſe, nec inducta noviter forma priſcum rerum ſtatum exſtinctum, penituſque ſublatum fuiſſe; vera, firma, fixaque manent, quae de Achaico concilio, deque Abeatarum adſcriptione, ſocietateque a me dicuntur.

1 Patent haec omnia ex Lexicographis HARPOCRATIONE, POLLVCE &c. atque ex DEMOSTHENE *de Corona*, AESCHINE *de falſa legat.* Vid. etiam VALESIVM *ad Harpocrat.*

2 Apud Athenienſes Apparitorum vice aliquando functi ſunt. DEMOSTHENES *in Leptinem*; unde a LIBANIO *de falſ. leg.* Scriba Vrbis vile miniſterium dicitur. Summam deinde apud Graecas Civitates poteſtatem indepti ſunt, ut nedum moneta eorum nomine ſignaretur, ſed nihil ferme abſque illorum conſilio, ſententiaque decernetur. De Scribis locus eſt CICERONIS *in Verrinis* III. *cap.* 79. obſervatu dignus, ubi honeſtum appellat ſcribarum Ordinem, & quare ejuſmodi eſſet, edocet. *Eſt vero honeſtus, quod eorum hominum fidei tabulae publicae, periculaque Magiſtratuum committuntur*. Negat honeſtum fuiſſe SIGONIVS *de Antiqu. Jure Civit. Rom.* II. 14. qui tamen a GVTHERIO refellitur *de Jure Pontific. lib.*I. Sed tota lis forte dirimi poterat, ſi inter eos perſpicue conveniſſet, quid inter *honeſtum*, & *honorificum* revera ſit diſcriminis. Tum etiam diverſa nationum inſtituta accurate ſunt diſtinguenda. Nam a Romanis Graecos plurimum hac in re diſcrepaſſe tradit dilucide CORNELIVS NEPOS in *Eumene*, quem Philippus Alexandri pater *habuit ad manum ſcribae loco: quod multo apud Graecos honorificentius eſt, quam apud Romanos . . . Nemo enim apud illos ad id officium admittitur, niſi honeſto loco, & fide, & induſtria cognita: quod neceſſe eſt omnium Conſiliorum eum eſſe participem*. Caeterum uti varia fuit diverſarum gentium Reipub. adminiſtratio, ſic & Scribarum conditio. De illorum vilitate, vel dignitate penes diverſos populos conſuleſis BARTHIVM *adverſarior. lib.*L. *cap.*I. FREINSHEMIVM *ad Curtium lib.*VII. *cap.*III. BRISSONVM *de Regio Perſarum Principatu lib.*I. CHR. ADAM. RVPERTVM *in Enchiridion Pomponii Icti lib.*I. *cap.*VIII.

Πόλεως, τοῦ Ἀνθυπάτου [1]. At Damonem Ariſteae Filium, qui Abeatarum conſilium, & conventus reſcriptum in tabulas publicas retulit, totius Achaici, ſive Peloponneſiaci **Συστήματος**, ſcribam fuiſſe arbitror. Id ut credam, Polybii narratione inducor, qui de duodecim civitatibus, unde olim coaluit Achaeorum Commune ſcripſit: **συνεπολιτεύσαντο μεθ' ἑαυτῶν αἱ προειρημέναι πόλεις, γραμματέα κοινὸν ἐκ περιόδου προχειριζόμεναι, καὶ δύο στρατηγοὺς**, *dictae urbes Rempublicam eamdem coluerunt, eligentes in orbem SCRIBAM COMMUNEM, & duos Praetores* [2]. Ad Praetores quod attinet, eodem Hiſtorico monente, immutata deinde fuit regiminis forma, quippe placuit Reipub. unum eligi, cui ſumma rerum permitteretur. Ergo quum nihil de **Γραμματεῖ** aliter proviſum fuiſſe referat, evidenti indicio eſt, unum ſemper exſtitiſſe. Et quamvis in Achaici corporis cenſum aliae ſubinde urbes ſint delatae, additaeque, nova Reipublicae amplificatio minime vetabat, communem omnibus Scribam permanere. Quibus ex rebus breviter diſputatis duo emergunt conſectaria. Scilicet Damonem **γραμματέα κοινὸν** fuiſſe totius ſyſtematis Achaici, potius quam **τῆς πόλεος τῶν Ἀβεάτων**. Tum Abeatas in ſigni Hadrianaei dedicatione dogma **Κοινοβουλίου τῶν Ἀχαιῶν** exquiſiiſſe, quia eidem erant adſcripti: quo in corpore Abae Phocidenſium nulla ratione queunt numerari.

Eodem Polybio facem praeferente, facilis, probabiliſque cauſſa ſuppetit, quamobrem monumentum ab Abeatis Corcyrae poſitum fuerit; non enim moles ipſius, regionumque diſtantia patitur, ut credamus, fuiſſe illuc caſu tranſlatum. Quum Teuta Agronis Illyriorum Regis uxor, marito pleuritidis vi abſumpto, regnum ſuſcepiſſet, magnam Lemborum

---

1 Adi Ant. Vandalevm *Diſſert. Antiquitat. Diſſert.* v. *de Strategis & Scribis*.

2 *Hiſtoriarum lib.* II. Graecorum Magiſtratuum officia non probe tenuiſſe videtur Nic. Perottvs, qui Γραμματέα vertit *Quaeſtorem*.

borum claſſem paravit, quorum bene multos Corcyrae expugnandae ablegavit. Vbi primum Illyrii illuc appellunt, in exſcenſione facienda maximum Corcyrenſibus terrorem injiciunt. Qui tanto preſſi caſu, omnique prope ſalutis ſpe dejecti, legationem ad Achaeos mittunt. Hi vero auxilii ferendi gratia κοινῇ τῶν Ἀχαιῶν decem conſtratas naves remigio, ac milite inſtructas Corcyram jubent adnavigare [1]. Haec Lycortae F. Igitur debuit exinde inter Corcyraeos, Achaeoſque quaedam intercedere ſocietas, quaedam conſiliorum conſenſio, mutuaque benevolentia, eaque utriuſque populis in Romanorum amicitiam receptis, utcumque renovari. Fuit autem conſuetudinis Civitatum foederatarum, ut ſui ſplendorem augere mutuo contenderent, ſimili prope animarentur voluntate, atque in eadem etiam conſilia, operaque conſpirarent. Et ſane de florentiſſimis Athenienſium Coloniis proditum a Pausania eſt [2], unamquemque illarum Olympiëum, quod Hadrianus ſollemni, ac magnifico ritu Athenis dedicaverat, ſignis eiuſdem Caeſaris perornaſſe: ἀπὸ γὰρ πόλεως ἑκάστης εἰκὼν Ἀδριανοῦ ἀνάκειται, *ſingulae vero urbes statuam Hadriano poſuere*. Rurſum Mileſiorum Civitas, Joniae Metropolis eumdem Imp. quem appellavit τὸν κτιστὴν καὶ εὐεργέτην, *ſuum conditorem, & benefactorem* [3], columna, columnaeque adjecta statua in ipſo Jovis Olympii templo Athenis honoravit. At quid Colonias illas, Mileſioſque adduxit, ut Athenis potius, quam in ſuis oppidis ſigna Auguſti excitarent? Scilicet, quod commodiſſimam opportunitatem nacti eſſent, qua & beneficentiſſimo Caeſari optimam voluntatem teſtarentur, & ſociis Athenienſibus plurimum poſſent gratificari. Ita merito exiſtimandum, Abeatas Hadriani beneficiis obligatos, & Corcyrenſibus ob priſcam Reipub. Achaicae cum illis amicitiam jun-

1 *Ibidem*. Differentiam, quae erat inter *Lembos*, & *Naves conſtratas* (ſi quid eſt opus) diſces ex Bayfio, Schefero, Doleto, Laurentio, Meibomio, qui veterum navium varietatem diligenter perſequuti ſunt.

2 *Atticor. cap.* XVIII.

3 Vid. Epigrammata Graeca Cyriaci *pag.* XIII. *num* 93.

junctos, ſtatuam cum baſi Corcyrae dedicaſſe, ut alicujus publici aedificii, quod illic exſtruebatur, majeſtatem aere conlato, additoque inſigni ſimulacro augerent, ac bene de utraque Repub. meriti Principis nomini concelebrando ſymbolam conferrent.

Vtinam vero quemadmodum ſummus ille vir, quem quadam admiratione commotus nec nimis valde umquam, nec nimis ſaepe laudavero, Edvardvs Corsinvs invicte oſtendit, quo anno, & quo loco Hadriani ſigna Coloniarum Athenienſium, Mileſiorumque ſumptu Athenis poſita fuerunt [1]; ſic mihi de statua ab Abeatis eidem Imp. Corcyrae dedicata demonſtrare liceret [2]. Sed quis tam lynceus, qui in tantis tenebris verum poſſit indagare, atque recludere? Nam etſi hoc noſtrum marmor temporis notam praeſeferat: **τὸν ὕπατον. τὸ. γ.**, argumento illa minime eſt, ut statuae dedicatio certo, determinatoque anno queat conſignari. *Tertium Conſulatum* iniit Hadrianus anno V. C. 872. [3], eumque quatuor tantum menſibus exegit [4]; verum hujus dignitatis

1 *Faſti Attici tom.* II. *Diſſert.* XI.

2 Ne quid miſſum faciam eorum, quae huc videntur pertinere, fateor ingenue, me nihil certi habere, quod proferam de duabus litteris T, & I in noſtrae baſis lateribus inſculptis. An forte Statuarii, aut Quadratarii nomen ſub his compendiariis notis deliteſcit? Non ſum equidem neſcius, non fuiſſe moris Graecorum artificum, ut ſua nomina ſic occulerent. Nam ne ſingula attingam exempla, in ipſa Mileſiorum inſcriptione legitur: Ἀνδριαντοποιὸς Ἀυλὸς Παντουλειος. Attamen ipſomet Hadriano imperante uſus admodum varius obtinuit, nempe ut artifices quandoque lateribus operum publicorum ſua nomina conſignarent, atque ea nonumquam compendiarie ſcriberent. Vide Blanchinivm *Epiſt. de lapide Antiati Hadriano Imp. dedicato cap.* I. Phil. a Tvrre *de Inſcript. M. Aquilii cap.* VIII.

3 *Faſti Conſulares ex Laterculo Biblioth. Vindobon.* apud Norisivm *ad Faſt. Diſſert.* I. Hoc anno Cassiodorvs, Fasti Graeci, Cvspinianvs pro *Coſ.* III. habent II. quos merito caſtigat Panvinivs *Commentar. in lib.* II. *Faſtor.* In Faſtis, quos Idatianos vocant, apud Labbevm *Biblioth. Nova Manuſcript. tom.* I. ad ann. Chriſti 119. legitur: *Hadriano IV. & Ruſtico*; librariorum procul dubio oſcitantia, hunc ſiquidem Imp. *ter* tantum Conſulem fuiſſe, exploratum, teſtatumque eſt.

4 Spartianvs *ubi ſupra*.

tatis nomenclationem jugiter retinuit ad annum uſque 890., quo mortalitatem explevit [1]: ita ut publica monumenta ex anno 872. ad ſupremum illius vitae diem in ipſius honorem excitata hac nota Cos. III. inſignita reperiantur. In his porro nummis, in quibus vel ADVENTVS illius in diverſas provincias celebratur, vel earumdem RESTITVTOR inſcribitur, tertium Conſul perpetim dicitur. At certe non uno, eodemque anno Macedoniam, Alexandriam, Africam, Britanniam, Aſiam, Arabiam, Galliam, Bithyniam, Hiſpaniam, Siciliam, Phrygiam, Italiam, Judaeam, Moeſiam, Mauritaniam, Nicomediam advenit, eaſque reſtituit. Nihilominus dicendum foret omnes illas tam diverſas, & tam immenſo diſjunctas intervallo terrarum oras tertii ſui Conſulatus anno peragraſſe, juvaſſeque, ſi nota illa, quae ubique recurrit, veluti certum, ac praefinitum cujuſque epochae indicium haberi poſſet. Quo fit, ut hoc tantummodo liceat affirmare, Abeatas ſignum Hadriano poſuiſſe poſt an. 872. Si quid tamen liberiori conjecturae libet indulgere, in eam maxime inclinaverim ſententiam, id accidiſſe an. 879. vel 883., quibus Imperator in Graeciam contendit, deque ea multis bene factis promeritus eſt: ita enim natura omnes comparati ſumus, ajebat CICERO, ut aliorum liberalitate maxime afficiamur, quum beneficos viros praeſentes intuemur, grateſque rependere ſtudeamus, quum recens eſt ſuſcepti honoris, aut muneris memoria.

Quamquam adhuc huic noſtrae interpretationi illud incommodare videbitur, quod tradit ANDR. MARMORA [2] nullum ſe in tota Corcyra Hadriani monumentum reperiſſe; ex quo colligit, Corcyraeorum Rempub. nullo beneficio ab illo fuiſſe auctam. Quî ergo publicis aedificiis gratum animum teſtaretur? Sed nota, & vulgatiſſima res eſt, ad obſcuros, tenueſque teſtes eſſe rejiciendum MARMORAM, qui tot commentis, hiſtoriam ſuam referſit, & in tanta rerum domeſticarum

1 TILLEMONTIVS *Hiſtoire des Empereurs. Vie d'Adrien. Not.* XV.
2 *Hiſtoria di Corfu lib.* III.

carum [illegible] grinus viſus ſit [1]. Aut ſi mitius agendum [illegible] ac pere- natalem urbem pro virili ſua parte illuſtrare conatus eſt, ingenio temporum, quibus ſcripſit, tribuendum erit, quod non fabuloſam modo, ſed mancam, & hiulcam narrationem contexuerit. Nam poſtquam haec noſtra ſtudia invaluerunt, infinita propemodum cujuſvis generis monimenta illic eruta ſunt, quorum inventu, adſpectuque multa de variis illius Magiſtratibus, aedificiis, ornamentiſque didicimus, quae hiſtoricum illum prorſus latuerunt. An cognitam is habuit navalem ſuorum Phaeacum pugnam, atque victoriam, qua parta Lucus Apollini illic eſt dedicatus [2]? An ſignum Herculis, Machatis opus, Aeſculapio ſacrum [3]? vel tot alia ſigilla, toreumata, epigrammata, quae ex Corcyraei agri ruinis, aut egeſtionibus a me nunc primum in lucem educuntur? An Corcyrenſis Senatus de Dionyſiacorum pompa, apparatuque decretum, & Ariſtomenis Ariſtolaidae filii, Pſyllaeque donaria [4]? Nihil itaque mirum debet eſſe, ex his ipſis lati-

---

1 Quam parvi faceret eruditiſſimus C. QVIRINVS, patet ex his, quae de illo ſcripſit *in Primordiis Corcyrae cap.* XVII. XVIII. XIX. XXIII.

2 Confer Inſcriptiones Corcyraeas *in Diario Italico num.* XX.

3 *Ibi num.* XIII.

4 Idem CL. MONTFAVCONIVS edidit ex ſchedis A. ZENI *l. c.* inſignem inſcriptionem Dorica lingua, qua oblata ab Ariſtomene, & Pſylla Baccho munera, atque pſephiſma, quod Corcyrae Senatus ea de re interpoſuit, late explicantur. Verum bonis avibus accidit anno mox revoluto, ut ibidem mutilus titulus reperiretur, continuo in MVSEVM NANIVM devectus, quo de priſca, atque illuſtri Corcyraeorum gente uberius erudimur. Nam in nuperindicato decreto Ariſtomenes Ariſtolaidae filius dicitur: Ἀριϛομένης τῶ Ἀριϛολαΐδα. Sed alterum huic fuiſſe filium, eumque publicorum monumentorum fide apud ſuos celebrem, cui nomen Theomedes, ex diffracto, truncoque lapide, quem ſubjicimus, apparet.

ΘΕΟΜΗΔΗΣ
ΑΡΙΣΤΟΛΑΙΔΑ.

An is autem, quemadmodum alter ipſius frater Ariſtomenes Corcyraeorum Prytanis eſſet, hujus fragmenti praeſidio haud licet divinare. Certe ali-

ignota emerſerunt, monumentum pariter prodiiſſe, quo Hadriani in Corcyrenſes beneficentia, viciſſimque Corcyrenſium erga illum obſervantia patefacta eſt. Facile gentium illarum cultum, & amorem potuit demereri indefatigabilis Caeſar, qui omnes Rom. Imperii, qua late porrigebatur, campos luſtravit, & urbes, ac ſe totum in aliorum utilitatem explicavit, qui toties jus dixit, optatiſque populorum ſe facilem, ac propitium praeſtitit, ad omnes politiores, liberaleſque artes ſtudium contulit, qui ad extremum totus in eo erat, ut ſapientia, numine, conſilio, indulgentiaque ſua univerſum terrarum orbem tueri, ac fortunare crederetur [1]. Nec diſperandum fore, ut

---

te alicujus ingentis, inſigniſque monumenti, quo publica negotia eſſent deſcripta, pars fuiſſe videtur. Atque Theomedem Reipub. illius muneribus eſſe defunctum probabile fit, ex Corcyraeorum moneta, patris ipſius ΑΡΙΣΤΟΛΑΙΔΑ, fratriſque ΑΡΙΣΤΟΜΕΝΕΟΣ nominibus obſignata: quo intelligitur, potentis & famigeratae eos exſtitiſſe familiae. Sed duo ſunt in hujus fragmenti ſcriptura diligenter conſideranda. Primo quidem in *theta* formae majuſculae lineolam, ſive punctum, quod interiici ſolet, aut a ſcalptore fuiſſe praetermiſſum, aut temporis longinquitate deletum. Neutrum tamen exemplo vacat in antiquis marmoribus. Item in *epſilon* mediam lineolam, quae haſtam rectam diſſecat, ſic fugientem, vixque conſpicuam eſſe, ut pro Ε accipi queat. Hinc videri alicui poterit legendum: ΟΣΟΜΗΔΗΣ. Verum quoniam ad Graecae pronunciationis ſonum, receptumque imponendorum nominum uſum magis accedit Θεομήδης, quam Ὀσομήδης, illud cenſui eſſe anteponendum.

1 Hinc ſuperba illa in nummis ipſius epigraphe: RESTITVTOR ORBIS TERRARVM. Caeterum quam varia, quam ingentia fuerint hujus Principis geſta, quibus virtutibus eſſet inſtructus, quibus etiam diffflueret vitiis, ex priſcis auctoribus accurate deſcripſerant DODWELLVS *in Praelectionibus Camdenianis*, OPITIVS *de Hadriani indole*, *virtutibus*, *ac vitiis*, FEVELEINIVS *de Hadriani eruditione*, BOTTERAVIVS, *Hadrianus legislator*. Ac certe nullus alius fuit Romanorum Imperatorum cujus nummi ſive ſubobſcuris monetalis Officinae notis, ſive emblematum varietate, uberiorem eruditis ſuppeditaverint dicendi ſegetem. In his ſunt NICASIVS, GALLANDVS, OVDINETVS, TOVRNEMINIVS, HECTIVS, SCHLAEGERVS. Rejice tamen ad gerras, atque rei nummariae quiſquilias ZACH. GOEZII Diſſertatiunculam, quae eſt XVIII., de duobus Hadriani nummis, in qua ad ſchemata uſque ipſa, incorrecta, atque infice-

ta

ut Phaeacia tellus ex penitiore ſinu eruditae vetuſtatis reliquias aliquando expromat, quarum beneficio aperte, atque evidentiſſime pateſcat quo anno, qua ſignate de cauſſa, & quo Corcyrae loco monumentum dedicatum fuerit.

---

ta omnia ſunt. Idem Auguſtus eo habitu, qui Philoſophis, Conſulibus, legumque peritis tribui conſuevit, effictus occurrit in maximi moduli numiſmate apud Haymvm, (*Teſoro Britan. Tom.* II. *Tav.* VIII.) ſtans ſcilicet, togatus, dexteraque manu volumen gerens; qualem veroſimiliter referebat ſignum Corcyrenſe.



§. VI.

Pſephiſma alterum in Cippi latere inſculptum declaratur.

QVAECVMQVE ab hominibus avide appetuntur, omnia incerta ſunt, fluxa, & caduca. Vna eſt virtus, quae altiſſimis defixa radicibus nulla vi labefactari poteſt. Ac tantus, tamque fulgidus eſt virtutis ſplendor, ut eos, in quibus illius lumen conſpicimus, omni laudis praedicatione, omnique obſervantiae teſtificatione honeſtandos exiſtimemus. Graeci porro hoc virtuti tributum ſtatuerunt, ut quanti illam facerent, certum aliquod indicium publicis, aeterniſque monimentis conſignatum exſtaret. Quapropter in illorum marmoribus crebro uſurpata deprehenditur perhonorifica formula illa, ἀρετῆς ἕνεκεν, qua viros egregiis animi dotibus inſtructos apud poſteros commendatos eſſe voluerunt [1]. Ejuſcemodi eſt alterum epigramma publica pariter EPIDAVRIORVM auctoritate, adprobationeque ſpectabile, quod ſumimus explicandum. In quo ſane Tiberii Claudii Senoclis (qui opus curavit) conſilium haud improbare queo, ſi ut Titi Statilii Timocratis famae tutius proſpiceret, encomium illius in latere marmoreae baſis Alcidis Filio antea jam dicatae inſculpi fecit. Proſtabat illa, uti diximus, loco in urbe celebri, atque frequenti, oculoſque hominum facile ad ſe rapiebat tum ſuperpoſito Baſſi ſimulacro, tum deſcripto ſtylobatae elogio. Morem itaque ſequutus paſſim in Graecia obſervatum, cum perilluſtris Epidaurii Civis nomine memoriam cenſuit conſociandam hominis, qui in ea ipſa civitate praeclara ediderat virtutis, ſapientiae, animique magnitudinis exempla; ut ex prioris monumenti dignitate major quaedam claritas in Titum


1 Inutilis hic a me ſuſciperetur opera, ſi inſcriptiones, quae hanc formulam praeſeferunt, aggrederer recenſere. Omnia veterum lapidum collectanea ubertim hoc genus exempla ſuppeditant.

tum redundaret [1]. Litteras quaſdam in hoc ſecundo pſephiſmate partim fragmine lapidis deciſo, partim temporis eroſione periiſſe patet; at quibus characteribus hiulca loca expleri debeant, felici quodam alterius Peloponneſiaci marmoris exemplo [2] certiſſime erudimur. Ergo, uti facere coepimus, tribus modis deſcriptum exhibemus.

TITON-

1 Vide quae adnotavimus *Parte I.* §. v. *pag.* 104.

2 Exſtat in *Muſeo Veronenſi pag.* XLIII. longe emendatius, quam in *Novo Theſauro* Inſcriptionum.



F Corcyra 1758.

ΤΙΤΟΝΣΤΑ ....
ΛΙΟΝΛΑΙ.Ι....
ΘΥΥΙΟΝΤΕΙΜ..
ΚΡΑΤΗΝΤΥΒΕΡ..
ΟΣΚΛΑΥΔΙΟΣΘΑ
ΔΡΙΟΥΥΙΟΣ ΣΕΝΟ
ΚΛΗΣΤΟΝΙΔΙΟΝ
ΣΥΝΓΕΝΗ. ⊦ΗΦΙ
ΣΑΜΕΝΗΣΤΗΣΠΟ
ΛΕΩΣ ΑΡΕΤΗΣ
ΕΝΕΚΕΝ

Quae ita refingenda, exponendaque videntur.

Τίτον Στατί-	*Titum . Stati-*
λιον λαμπρεί-	*lium . Lampri-*
ȣ ὑιὸν Τειμο-	*ae . filium . Timo-*
κράτην Τιβέρι-	*cratem . Tiberi-*
ος Κλαύδιος ὁ Ἀ-	*us . Claudius . A-*
δρίȣ ὑιὸς Σενο-	*drii . filius . Seno-*
κλῆς τὸν ἴδιον	*cles . ſuum . con-*
συγγενῆ ψηφι-	*ſanguineum* (honorat) *de-*
σαμένης τῆς πό-	*creto . Civi-*
λεως ἀρετῆς	*tatis . virtutis*
ἕνεκεν	*ergo .*

COM-

COMMENTARIVS

ALTER Peloponneſius litteratus lapis, a quo veram, atque pleniſſimam hujus inſcriptionis interpretationem repetendam fore nuper affirmavi, etſi non ab Epidauriis, ſed ab Argivorum urbe poſitus, & Dorica dialecto ſcriptus ſit, attamen cum noſtro ſic apte cohaeret, ut pene gemellus jure putari queat. Prima illius verba haec ſunt. *Ἁ πόλις ἁ τῶν Ἀργείων Τίτον Στατίλιον Λαμπρίου υἱὸν Τιμοκράτην Μεμμιανὸν, Περσέος καὶ Διοσκούρων ἀπόγονον* &c. Atqui exesa, ac mutila in noſtro marmore nomina hinc ſponte veluti ſua integrantur. Nam in fine primi verſus quis non videat, commodiſſime ſuffici duo elementa **TI**, quae ab aliis adhuc exſtantibus **ΣΤΑ**, & **ΛΙΟΝ** utrinque excepta obvio, ac naturali ſenſu abſolutum nomen **ΣΤΑ**-*τι***ΛΙΟΝ** exhibent? Alterius autem nominis, quod mox inſequitur, equidem nonniſi priora duo elementa **ΛΑ**, & poſtrema **ΟΥ** perſpicue deprehenduntur; ſed detritae vocis laciniae facile patiuntur, ut littera M exinde conſletur, tantumque ſpatii eſt reliquum, ut tribus aliis **ΠΡΙ** aditus pateat. Ergo uti in Maffeiano lapide, ſic in noſtro exaratum fuiſſe videtur **ΛΑ***μπρι***ΟΥ**. Nonne idem agnomentum **Τει**-*μοκράτην*, ſola contractae diphtongi differentia, in utroque marmore Tito Statilio attributum luculenter declarat, binos titulos ad unum eumdemque hominem referri, proindeque ſimilia prorſus utrobique eſſe nomina? Nec moleſtiam faceſſit alterum ab Argivis ſuperadditum, *Μεμμιανὸν*, quod a noſtra inſcriptione abeſt. Nam vel Statilio haeſit poſt exſculptum Epidaurium marmor, vel ſcienter a Claudio Tiberio fuit praetermiſſum: quod in *πολυωνυμίᾳ* factitatum animadvertimus.

Praeterea illuſtris hic Lampriae filius, quem Argivorum Civitas tantopere honoravit, nedum perpetuum Graecorum Pontificatum & Achaeorum Praeturam obtinuit, mul-

multiſque Gymnicis, ac ſollemnibus praefuit ludis, ſed diſtincte traditur, Ἀγωνοθέταν fuiſſe τῶν Ἀσκλαπείων ἐν Ἐπιδαύρῳ [1]. Itaque quum noſtrum hoc marmor in ea ipſa urbe extiterit, in qua T. Statilius magnis Aeſculapii certaminibus [2] edendis vacaſſe perhibetur, poſitumque Ψηφισαμένης τῆς πόλεως dicatur ἀρετῆς ἕνεκε, ſcilicet, quod is in ampliſſimo munere obeundo virum integerrimum, honeſti, rectique tenacem ſe ſe praebuerit; evidens omnino fit, Epidaurios monumentum decreviſſe eidem ſpectatiſſimo Pontifici, Praetori, Agonothetae, quem Argivi concelebrarunt, atque tot praeclaris officiis cum laude eſſe functum cenſuerunt. Adde, quod utrumque pſephiſma ſimili formula ἀρετῆς ἕνεκε concluditur; ita ut ob tantam, quae intercedit, ſimilitudinem evanidae, fugienteſve litterae, quae in Epidauriorum decreto occurrunt, nec tutius, nec felicius, quam ex altero Argivorum ſuppleri poſſint.

Attamen dictu proclive minime eſt, quaenam huic formulae vis ineſſet, quidque illa revera portenderet. Nam ſi virtus nihil aliud eſt, quam abſolutio rationis, perfectioque bene inchoatae naturae [3]; vel potius conſtans quaedam, perfectaque vitae ratio [4], ſequitur profecto in Graecorum monumentis virtutis cauſſa illum celebrari hominem, qui integer, modeſtus, temperans, religioſus, nulla in alios malevolentia ſuffuſus fuerat, qui turbatos animi motus, cohibuerat, appetitioneſque obedientes fecerat; qui ſuum cuique tribuerat, commiſſa ſibi munera juſtitia, fide, ſapientia adminiſtraverat, atque in hominum ſocietate commendatione probitatis boni viri ſpeciem tueri contenderat. Verum in hiſce elogiis videntur Graeci virtutem, probitatem, pietatemque diſtinxiſſe. Marmor Deliacum a Christophoro Vvren-

1 *Ibidem verſ.* 14.
2 De Magnis Aſclepii ludis egimus hac ipſa *Parte* III. *pag.* 5. *adnot.* 2.
3 Cicero *de Finibus lib.* v. & *Academic. lib.* I.
4 Idem *de Legibus lib.* I.

Vurennio editum [1] Theophraſtum Acharnenſem laudat. Ἀρετῆς ἕνεκεν, ϗ καλοκἀγαθίας, ϗ τῆς πρὸς Θεοὺς εὐσεβείας. Pleonaſmus hic forte eſt, quo magis Theophraſti mores graves, integri, liberales, omnique virtute temperati commendarentur. Caeterum nec virtus abſque probitate, nec probitas ulla ſine virtute eſt. Neque etiam animus ſapiens, virtutibuſque alte imbutus religionem, cultumque erga ſuperos negligit; nam *pietas fundamentum eſt omnium virtutum* [2]. Quoties ergo Graeci quempiam publico decreto, monumentoque ἀρετῆς ἕνεκα ſe honeſtare profitebantur, mihi videntur eum hominem omni praedicatione, laudeque cumulaſſe; quandoquidem

Virtus repulſae neſcia ſordidae,
Intaminatis fulget honoribus:
Virtus recludens immeritis mori,
Coelum negata tentat iter via.

Eo autem libentius Tiberium Claudium putarim impetraſſe a Civitate, ut T. Statilio memoriam dedicaret, quod eſſet cum illo vinculis propinquitatis conjunctus. Quam quidem conſanguinitatem nil mirum eſt Senoclem affectaſſe, quandoquidem Statilius a Dioſcuris uſque originem ducere perhibebatur. In quo caeteroquin ſcalptor pronunciationis ſonum accuratae ſcripturae antetulit; ſiquidem in octavo verſu pro **ΣΥΝΓΕΝΗ** ſcribendum fuerat συγγενῆ. Peccatum etiam a Quadratario in orthographiae leges, quum pro Τιβέριος ſculpſit **ΤΥΒΕΡΙΟΣ**. Diſputandum tandem eſſe videretur, de peculiari aliquot litterarum forma, quae in hoc ſecundo Epidauriorum pſephiſmate oculis objicitur, praeſertimque de Ɏ & Ψ, quarum prior ubi duae lineolae

P. III. N diver-

1 In Appendice libelli, *Numiſmatum Antiquorum Sylloge a Populis Graecis cuſorum tab.* v.

2 Cicero *pro Planc.*

divergentes coëunt, rectaeque inſeruntur, obelo interſecatur; poſterior vero nullo recurvo, aut flexuoſo linearum ductu, ſed meris rectis ad angulum acutum invicem inclinatis conſtat. Verum, ut ſaepe monui, harum rerum inquiſitio, ac diſceptatio tota in unum locum ad calcem operis rejecta a me eſt.

PSE-



Ex Athenis 1759.

PSEPHISMATA
GYTHEATARVM
AERAM CHRISTIANAM ANTECEDENTIA

RERVM patriarum gloria ſic afficiebantur totius Graeciae civitates, ut in ſollemni, communique univerſae nationis Olympico conventu, ac panegyri ſuas laudes unaquaeque magnifica, & artis plena oratione celebrari ſtuderet. Ne autem certa recenſendarum laudum copia oratori deeſſet, aut ab eo pro ingenio quidquam confictum crederetur, quaecumque toto quinquiennio accidebant urbi, populoque honorifica, atque fortunata, non modo a **Γραμματεῦσι** in publicas tabulas referri curabant, ſed aeneis, marmoreiſque conſignabant monumentis, ut in omnium oculis defixa proſtarent, manarentque ad omnium ſaeculorum poſteritatem ſplendida civium nomina, aut memorabilia patriae facinora, quae in panegyrico celebrabantur. Quo ex inſtituto ea profluxit utilitas, ut nedum clarorum virorum geſta, ſed & urbium fata, ſocietates, decreta, quorum memoriam jamdudum inobſcuraverat oblivio, ope inſcriptionum, quae eruditorum hominum auſpicio, cura, ſtudioque ex latebris, ruderibuſque priſcorum operum in lucem interdum educuntur, praeclare nobis innoteſcant. Id vere, nitideque eveniſſe condiſcimus de inſigni *Ναυμάςῳ τῶν Λακεδαιμονίων*, urbeque in Laconicis non obſcura GYTHIO ex tribus hujus civitatis Pſephiſmatis, quae proximis ſuperioribus annis ex Peloponneſo advecta illuſtris BER. NANIVS in inclytum familiae ſuae cimelium intulit. Siquidem Gythiorum fortuna, praeſtantiſſimi cives, *ξενόςασις*, conſilia partim in hiſtoricis levi adumbrata veſtigio, partim adhuc nemini cognita, & explorata ex his marmoribus manifeſtius exſculpi, uberiorique luce perfundi poterunt, aut ex tem-

temporum caligine revocari. Eo autem felicius haec diſputari poſſe confido, quo accuratiora a me nunc exhibentur marmorum apographa ipſius magnanimi SENATORIS manu exſcripta, qui dum ampliſſimarum dignitatum gradus integritate, conſilio, ſapientiaque tuetur, manſuetiores Muſas, atque haec noſtra ſtudia praeſtanti patrocinio ſuo fovere, mirumque in modum evehere pergit. Sane & Reipub., & bonarum artium incolumitati, atque incremento natum rectiſſime dixeris virum, in quo ingenuus hic, nobiliſque litterarum amor tantopere effulget, in quo renidet.


. . . . . ſincera bonorum
Congeries, in quo veteris veſtigia recti,
Et ductos videas mores meliore metallo.

§. I.



E Fictili duplo majori,
EX Jthaca 1759.

PSEPHISMA PRIMUM



Ex Pelopõneso long: pal. R. 3: 6. *1753.*

Τίτον . Τίτου . Κοΐγκτιον Στραταγὸν . Ὕπατον . Ῥωμαίων . ὁ. Δάμος . ὁ . Γυθεατᾶν . τὸν . αὐτοῦ Σωτῆρα .

Titum . Titi . (fil.) *Quinctium . Praetorem . Conſulem . Romanorum . Populus . Gytheatarum . ſuum . Servatorem .* (honorat)

§. I.

ΤΙΤΟΝΤΙΤΟΥΚΟΙΓΚΤΙΟΝ

Τίτον . Τίτου . Κοΐγκτιον .

IN tanta , ac tam illuſtri praeſtantiſſimorum hominum copia , qui libera adhuc , atque integra Repub. , Romani nominis gloriam , majeſtatemque ſapientiae laude , animi magnitudine , hoſtibus fortiſſimis devictis , propagatis imperii finibus auxerunt , lateque amplificarunt , unus Titus Quinctius Flamininus ea fuit famae celebritate , ut ante-

anteferatur illi nemo, pauci pares putentur. Scilicet ab origine ultima ſtirpis Albanae generatus [1], atque ad omnem diſciplinam militarem egregie inſtitutus [2], Conſulatum Aedilitate, & Praetura praetermiſſa [3], nondumque juventutis annos egreſſus, obtinuit [4]. Poſt bellum Punicum II. in Graeciam cum exercitu, ſummoque imperio trajecit [5]. Sic ejus adventus illic celebratus eſt, ut famam virtutis expectatio hominis, expectationem ipſius adventus, admiratioque ſuperaverit [6]. Philippo Macedonum Regi, quod Hannibalem, Poenoſque juvaſſet, atque Athenienſibus Romanorum ſociis infeſtus fuiſſet [7], bellum tanto conſilio, & impetu, tanta dexteritate, & fortuna intulit, ut ad clauſtra Epiri copias illius ſtrenuiſſime fregerit [8]. Fugientem deinde in Theſſaliam perſequutus, illum ad Cynoſcephalas fudit, ac diſſipavit, omni regione evaſtata, atque capta [9]. Imperio ſibi iterum a Senatu prorogato, Fratris ſui LVCII QVINCTII Archithalaſſi, induſtria, diligentia, claſſeque adjutus, praedones Aetolos devicit, & Lacedaemonium Tyrannum Nabin, Gythio excedere coegit [10]. Quibus rebus ademptam ex longo intervallo Graecis, praeſertimque Peloponneſiacis civitatibus libertatem reſtituit [11]; ideoque in tan-

---

1 LIVIVS *lib.* I. *cap.* XXX.

2 PLVTARCHVS *in Tito Quinctio*.

3 LIVIVS *lib.* XXXII. *cap.* VII. PLVTARCHVS addidit, praetermiſſo etiam Plebis Tribunatu; a quo prorſus recedendum credimus; ſiquidem T. Quinctius ut pote genere Patricius hoc munus; integris legibus, petere nequaquam poterat.

4 POLYBIVS *Hiſtoriarum lib.* XVII.

5 *Ibidem*.

6 PLVTARCH. *l. c.* & POLYB. *in Excerptis Legationum*. IX.

7 LIVIVS *lib.* XXXI. I.

8 Habent omnes mox memorati Scriptores.

9 JVSTINVS *Hiſtor. lib.* XXX. *cap.* IV. *Fractus itaque bello Philippus pace a T. Q. Flaminino Conſule petita, nomen quidem regium retinuit, ſed omnibus Graeciae urbibus, velut regni membris extra terminos antiquae poſſeſſionis amiſſis, ſolam Macedoniam retinuit.*

10 LIVIVS *lib.* XXXIV. *cap.* XXVIII.

11 Eodem libro *cap.* VII. & XXXI. POLYB. *excerp. l. c.* PLVTARCH. *ubi ſupra*.

tantam devenit Grajorum exiſtimationem , ut nemo apud illos ſplendidiores honoris teſtificationes videatur conſequutus [1] . His moderationem , integritatem [2] , religionem adjunxit [3]. Quapropter non modo ab his , qui illorum temporum hiſtoriam ſcripto mandarunt , ejus virtus ſummis praeconiis eſt celebrata , ſed geſtorum ipſius ſeries ita cum quadam perpetua felicitate , laudeque conjuncta PLVTARCHO viſa eſt , ut ſingulari libello narrandam , deſcribendamque ſuſceperit. Verum haec omnia TITO QVINCTIO a natura , atque fortuna large tributa neceſſe erit hoc loco a me paullo ſuſius explicari , atque ſub aſpectu poni ea ratione , diſtributioneque , ad quam me vocat , ac quodammodo rapit ipſius inſcriptionis contextus . Itaque a principio ordiendum .

Rectiſſime quidem a Gytheatis exaratum comparet hujus ſummi viri nomen , **ΚΟΙΓΚΤΙΟΝ** , mutuata ex Latina orthographia vocabuli pronunciatione . Nam licet DASQVIVS [4] , atque TVRNEBVS [5] , *τὸ* **K** expungendum dixerint, ſcribendumque putarint : QVINTIVS ; licet in vetuſtis marmoribus utroque modo efferatur [6] , nihiloſecius haec noſtra epigraphe eo accuratius ſcripta credi debet , quo magis cum hujus familiae nummis conſentit , in quibus jugiter occurrit QVINCTIVS [7] . Gemina autem exſtitit Quinctia gens . Prior

1 PLVTARCH. *ibidem* .

2 LIVIVS *lib.* XXXIV. *cap.* XXII.

3 De T. QVINCTII religione illud perhibet CICERO in IV. Verrina cap. LVIII. *Signum Jovis Imperatoris ex Macedonia captum in Capitolio poſuit* . Livius tamen *lib.* VI. *cap.* XXIX. id tribuit T. Q. Cincinnato , ſignumque hoc ab eo Praeneſte Romam advectum affirmat . Niſi duplex in Capitolio fuerat Jovis Imperatoris ſtatua , altera ex Macedonia a Flaminino , altera Praeneſte a Cincinnato tranſlata , fortaſſe CICERO , & LIVIVS in diverſas adeo abiere ſententias adducti inſcriptione , quae erat in ſtatue baſi : TITVS QVINCTIVS , nullo addito agnomine .

4 *In Orthograph. pag.* 151.

5 *Adverſariorum lib.* XXX. *cap.* XXVIII.

6 CELLARIVS *Orthographiae ratio pag.* 205. CHRIST. FRIDER. RVHE *Specimen* II. *Philologiae Numiſmaticae Latinae cap.* I.

7 Quum iidem ſint in omnibus Collectaneis , ſat erit Theſaurum ANDREAE MORELLI , quo utimur , indicaſſe .

Prior earum, unde genus ducebat T. Q. Flamininus, Alba a Rege Tullo diruta, Romam adducta, optimatum, procerum, patriciarumque familiarum auxit numerum [1]: atque ex ea prodierunt illuſtres noſtri Quinctii majores, qui Conſulatus, Quaeſturas, Aedilitates, omneſque nobiles magiſtratus iterato geſſerunt. Altera Quinctiorum familia plebeja fuit [2], in qua neſcio, an alius eluxerit, praeter L. QVINCTIVM *Tribunum Plebis*. Patriciae inſerti fuerunt jure adoptionis T. Q. Criſpinus Sulpicianus, & T. Q. Criſpinus Valerianus, ille Triumvir Monetalis, hic Duumvir Coloniae deducendae. Sed antequam ſermoni reliquo demus operam, minime praetermittendum eſt, quod de hoc noſtro T. Q. Macedonico incautiſſime excidit DONATO ACCIAIOLO, viro caetera erudito [3]. Quum aliquot clarorum virorum vitas a PLVTARCHO deſcriptas in Latinum vertere occepiſſet, malum illi conſilium animo injectum eſt, ut viris litteratis imponeret, fucumque faceret, & ſpuria quaedam, atque a ſe conficta pro genuinis Chaeronenſis Philoſophi libris obtruderet. In his eſt Hannibalis vita [4], quam veluti e Graeco exemplari tranſlatam ſub PLVTARCHI nomine auſus eſt in vulgus dare. In ea itaque poſtquam metum narravit, quo conflictabatur Hannibal, ne forte a Pruſia Romanis per fraudem dederetur, addit: *Auxerat etiam non mediocriter hanc ſuſpicionem ſuam Flaminii adventus, quem ſibi tum publice ob commune odium urbis, tum privatim ob memoriam Flaminii Patris ad Thraſimenum*

1 LIVIVS *loco ſuperius indicato*. DIONYS. HALICARR. *Antiquitat. Rom. lib.* I.

2 V. GLANDORPIVM *Onomaſt.* FVLV. VRSINVM *de Famil. Roman.*

3 De eo adi VOSSIVM *de Hiſtoricis Latinis lib.* III. *cap.* VIII. MORHOFIVM *Polyhiſtor. Philoſoph. lib.* II. *l.* I. *cap.* XI. Neuter tamen litterarias ACCIAIOLI fraudes retegit, quae caeteroquin doctis viris jam innotuerant. Diſputat haec copioſius ſapientiſſimus noſtra aetate Philologus COMES JOH. M. MAZVCHELLIVS *degli Scrittori d'Italia vol.* I. *parte* I. *pag.* 43. *&* 44.

4 FABRITIVS *Biblioth. Graec. lib.* IV. *cap.* XI. PLACIVS *de Scriptorib. Pſeudonym. num.* 2179.

menum lacum interempti, omnium Romanorum infenſiſſimum eſſe credebat[1]. Mirum tantum ingenium in tam ſalſam, ne dicam ridiculam incidiſſe ſententiam. An argumenta quaerenda ſunt, quibus ea refellatur? Neminem ſane in his ſtudiis verſatum latet, Cajum illum ad Thraſimenum interfectum non ex *Quinctia*, ſed *Flaminia* gente, quae plebeja fuerat[2], in lucem hominum veniſſe, plebiſque Tribunum fuiſſe[3]. Quae illi unquam cum nobiliſſimis Quinctiis cognatio exſtitit? Porro Tito Quinctio Flaminino, qui Regem Philippum vicit, & Macedoniam ſubegit[4], qui campos Macedonicos virtute ſua P. R. peperit[5], patrem fuiſſe TITVM, ut in pſephiſmate legitur, tum marmora Capitolina[6], tum nummi[7] ipſius plane evincunt. Igitur cum probatiſſimis, optimaeque notae monumentis cohaerent prima inſcriptionis verba: **TITON TITOY**.

Verum enim vero errore lapſum, deceptumque credo ACCIAIOLVM affinitate, ac ſimilitudine agnomenti *Flaminius*, quod in pleriſque Latinis, Graeciſque codicibus perperam, ac librariorum vitio T. Quinctio tributum eſt. Reſcribendum ubique eſſe FLAMININVS, viderunt jam LAMBINVS[8], CASAVBONVS[9] REIMARVS[10], aliique. Nec aliter profecto

1 *Edit. Lugdun.* 1548.

2 GLANDORPIVS, VRSINVS, VAILLANT. MOREL.

3 C. Flaminii pluries meminit CICERO, ſed Plebis Tribunatum geſſiſſe ſcribit praeſertim *de Senectute cap.* IV. tum *de Inventione lib.* II. *cap.* XVII. *Cajus Flaminius, qui Conſul Rempub. male geſſit bello Punico ſecundo, quum Tribunus plebis eſſet, invito Senatu, & omnino contra voluntatem omnium optimatum, per ſeditionem ad Populum legem Agrariam ferebat.*

4 CICERO *Verr.* I. *cap.* XXI.

5 Idem *de lege Agraria* I. *cap.* II.

6 Cum PIGHII *Annal. Rom.* Vid. PANVINIVM *in Faſt. Conſ.*

7 Conſuleſis Denar. Familiar. deſcriptores, quos ſupra nominavimus.

8 *Ad Orat.* CICERONIS *pro Murena*.

9 *Ad* POLYB. *not.*

10 *Ad Fragmenta* DIONIS *Peireſc.* CXXIII.

ſcribi patiuntur duo illa certiſſima vetuſtatis teſtimonia, Quinctiorum denarii, atque inſcriptiones. A quibus nihil diſcrepat, CHRONICON ALEXANDRINVM (ut ad Graeca etiam provocem) in quo Conſules ex Quinctia gente jugiter inſcribuntur Φλαμινινοί [1]. Alia jam antea Quinctiis haeſerant agnomina, CAPITOLINVS, CINCINNATVS, BARBATVS, POENVS &c. Sed novum Tito Quinctio Macedonico obvenit, quod ad Fratrem, poſteroſque ipſius manavit [2], propter inſigne Sacerdotium, ſacramque *Flaminis* dignitatem, quae illi in Comitiis Curiatis delata fuit [3]: exinde enim non Flaminius, ſed ad nominum ambiguitatem vitandam, FLAMININVS eſt dictus. Quandoquidem vero nemini non cognitum eſt, duo fuiſſe Flaminum genera, quorum alii, ſcilicet Dialis, Martialis, Quirinalis [4] *Majores* dicebantur, utpote qui ex patricia gente creati, inauguratique [5] ſummis donabantur privilegiis [6]; alii *Minores* ex plebeiis hominibus delecti, atque inferiorum Deorum turbae ſingillatim adſignati, ut Neptunalis, Volcanalis, Pomalis &c., facile quiſquis in animum inducet ſibi, Titum Quinctium ob generis nobilitatem, egregiaque merita inter primi ordinis Flamines eſſe recenſendum. Quamquam videri poterit, non bene proviſa, & diligenter explorata principia hoc loco a me poni, quum Flaminibus, PLVTARCHO auctore [7], minime integrum

---

1 *Ad Olympiades* 144. 146. *&c. Edit.* MATTHAEI RADERI.

2 Patebit vel maxime ex laterculo Conſulatuum Flamininorum, quem §. III. dabimus.

3 Vid. GRVCHIVM *de Comitiis P. R. lib.* I. *cap.* II.

4 Tres hujuſmodi Flamines a Numa fuerat inſtituti; quos idcirco conjungit CICERO *Philippic.* II. *cap.* XLIII. ubi de Antonio ſumma cum indignatione ait: *eſt ergo Flamen ut Jovi, ut Marti, ut Quirino &c.*

5 CICERO *pro domo ſua cap.* XIV.

6 Ex FABII PICTORIS libris narrat GELLIVS *Noct. Attic. lib.* X. *c.* XV. Adi praeterea, ſi quid fuerit opus, IOH. FRID. GRVNERVM *Diſſert. Philologic. de Flaminibus*; IOH. IRMISCHIVM *de Flaminis Dialis cum Flaminica Nuptiis*; I. GODOFR. BERNHOLDVM *Diſſert. Antiquar. de Flamine Diali, ejuſque conjuge.*

7 *Quaeſt. Roman.* CXIII. Adde GELLII illud: *rarenter Flamen Dialis Conſul creatus eſt. l. c.*

tegrum eſſet, petere, aut capere Magiſtratus. At nihil id impedit, quominus, T. Quinctius Praeturam, Conſulatum, aliaque in Repub. munera obtinuiſſe dicatur. Nam Flaminem creatum fuiſſe poſt exactum Conſulatum, poſt Macedonicum bellum, reſtitutamque Graecis libertatem, verbo dicam, poſt ipſius ex Peloponneſo in Vrbem reditum, ſatis perſpicue demonſtrari poſſe arbitror ex argenteo Familiae Quinctiae denario, quem rei teſtificandae cauſſa aeri inſculptum produco.



Et ſane quid refert, aut quo alludit diſcus ille ornatiſſimus ſub Dioſcurorum decurſione effictus, atque inter duas litteras T. Q., unde *Titi Quinctii* nomen inchoatur, a Typario poſitus? Porro in muſeoli noſtri nummo ſic ille prominens eſt, ſic affabre elaboratus, ut *Clypeo Macedonico* prorſus aſſimilis ſit, nullo modo vero pro patera ſacrificali accipi queat. Hac revera forma, atque hoc vario ornatu conſpicuos fuiſſe Clypeos, quibus ſe Macedones obarmabant, atque protegebant, non ſolum ex antiquis ſcriptoribus [1] manifeſtum fit, ſed ex gentis illius numiſmatis [2]; praeſertimque ex Neronis nummo, cui clypeus Macedonicus caelatus cum lemmate **ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ** [3], ipſiſmet

O 2

1 V. POLLVCEM *lib.* I. *cap.* IX.

2 BLASIVS CARYOPHILVS *de Veterum Clypeis pag.* 61. 62. aliquot ex his recenſuit.

3 Apud PATINVM *Numiſmata Imperator. pag.* 120. Ad hunc ipſum nummum provocat CARYOPHILVS, imo eamdem Theſauri Patiniani pagi-

met oculis uſurpare licet. Jamvero ſcitiſſimum illud eſt, fuiſſe in more poſitum, ut in *Victoriatis* Familiarum Romanarum nummis praeter Conſulis, aut Imperatoris nomen, cujus ductu, virtuteque victoria parta credebatur, non ſolum ſymbola adderentur Provinciarum, quas ille in P. R. poteſtatem redegerat [1], verum etiam *Arma* exſculperentur, quibus devicti, domitique populi uti conſuevere. Obvii ſunt cuivis eruditorum nummi M. Antonii, poſtquam Parthos praelio ſuperaverat procuſi; idcirco Cidarim, arcum, & ſagittam oſtentant, quod ea eſſent militaria Parthorum inſtrumenta. Obvii Publii Cariſii denarii poſt reportatam de Cantabris victoriam ſignati; idcirco acinacem referunt, quod ea natio hoc breviori, ac recurvo enſe in certamen deſcenderet [2]. Igitur, ne longius inſequar id genus exempla, quae infinita pene ſunt, quis ex rei ſimilitudine non animadvertat, in Titi nummulo *Clypeum* illum ad militarem alicujus nationis diſciplinam referri oportere? Sed cui potius, aut convenientius tribui, adjudicarique poterit, quam Macedonum genti, cujus ejuſmodi fuerant ſcuta, cujus etiam tanta fuit cum Titi geſtis affinitas, atque cognatio? Sequitur ergo cly-

---

paginam indigitat, ut mirum certe videatur, quare epigraphen vitiaverit, & ſublata voce ΣΕΒΑΣΤΟΣ, ediderit: ΚΟΙΝΟΝ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. Nummi Alexandri M. imagine, atque hac inſcriptione inſigniti, inter reſtitutos a viris doctis ſolent recenſeri, eoſque harum rerum ſcientiſſimus FROELICHIVS tertio poſt Chriſtum natum ſaeculo procuſos merito putavit. *Notitia Elementaris Numiſmatum Antiquor. cap.* VII. *Reges Macedoniae*. Alterum etiam CARYOPHILO excidit ſphalma, quum pro nummo ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ ΠΡΩΤΗ, qui eſt apud BEGERVM: *Numiſmata Graeca pag.*481. ubi intra Clypeum ſculptum viſitur Dianae caput, alterum ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΓΟΝΟΥ bicorni Panis effigie diſtinctum per errorem ſuffecit. De quo nummo Conſule eumdem BEGERVM *pag.* 247. atque WACTHERVM: *Archaeologia Nummar. cap.* VIII. *de Nummis Macedonicis*.

1 Paſſim occurrunt Provinciarum ſymbola in Conſularibus nummis illuſtrium Romanorum, qui illas perdomuerunt, ut non neceſſe ſit exempla articulatim, diſtincteque proferre.

2 Confer LVCANI enarratores ad eum verſum lib. VI.

Cantaber exiguis, aut longis Teutonus armis.

clypeum Macedonicum in Quinctiae Familiae denariis ſculpi coepiſſe poſt Philippicum bellum Senatus juſſu ſuſceptum, collatis ſociarum urbium viribus adminiſtratum, ſed imprimis T. Quinctii virtute, atque opera confectum, & abſolutum; ut exinde intelligeretur, Macedones a Tito, non minus quam Parthos ab Antonio, aut Cantabros a Cariſio, fuiſſe feliciſſime ſuperatos [1].

At nummus, qui hocce devictorum Macedonum emblema refert, idem etiam *Apicem* Pontificalem exhibet, ſive pileum in coni formam faſtigiatum, quo Flamines caput tegebant [2]. Neminem autem fugit, in nummis adponi conſueviſſe, ut eſſet index praeſtantiſſimi Sacerdotii, quod *Flaminium* dicebatur, quum is, cujus nomen monetae erat inſcriptum, illo eſſet defunctus. Sane ſi Titus hunc inſignem Pontificatum ante ſuum in Graeciam profectum, adeoque ante Conſulatum obtinuiſſet, tum Senatus decreta, & litterae, quae a Polybio, Livio, Plutarcho recenſetur, hoc nomine veroſimiliter illum compellaſſent; tum perhonorifica haec noſtra inſcriptio, quae duplex Titi officium memorat, hujus quoque dignitatis meminiſſet. Adde huc, Quinctium mature admodum Conſulem creatum fuiſſe, atque tum temporis ad bellicas expeditiones, non vero ad ſacra munia animum appuliſſe. Ergo *Apex* cum clypeo conjungi debet, & utrumque ſymbolum ad unam epocham revocari, ut quemadmodum clypeus nummum poſt victoriam Macedonicam fuiſſe cuſum ſignificat, ita apex Flaminis munus, eodem exacto bello, Tito fuiſſe collatum oſtendit: quod

1 Titum poſt devictos Macedones, profligatumque Spartanorum Tyrannum Clypeos argenteos Apollini Delphis dedicaſſe, refert Plutarchus *l. c.* Item ejuſdem metalli ſcutos in triumphali pompa detuliſſe, tradit Livius *lib.* xxxiv. *cap.* lii. Eò ne forte ſpectat Clypeus in nummo exſculptus? Vt ut ſit, victoria Macedonica nummi typum certe anteceſſit.

2 Fruſtra de re vulgatiſſima dicere aggrediar. Vid. Festum *in v. Apex*. Isidorum *Origin lib.* xix. *cap.* xxx. Cyrillum Gloſs. vet. in *κεραία*, Galenum *Lexic. Hippocrat. in κυρβασία*.


quod erat totius ratiocinationis conſectarium. Atque hic apex, quum nonniſi in Titi denariis ſculptus reperiatur, argumento id ſatis eſt, ut deprehendamus, fuiſſe illum in Quinctia gente primum, atque unicum, *Flaminii* honore praeditum atque auctum; proindeque FLAMININI agnomen ab ipſo profectum in totam redundaſſe familiam. Vtinam vero quemadmodum noſtra inſcriptio aetatem tulit, ita ſuperpoſita huic baſi ſtatua temporum edacitati, & injuriis feliciter obſtitiſſet, tantique viri os, habitumque intueri liceret [1]! Sed nonniſi cava pedum veſtigia ſuperfuerunt, ad ſtatuam, affuſo plumbo, tenacius cum baſi innectendam [2].

§. II.

---

1 Incertae mihi prorſus ſunt T. Quinctii imagines, quas ex antiquis, caelatiſque Gemmis expreſſas prodiderunt VRSINVS, BAIERVS, nec ſatis de illius vultus lineamentis conſtare, perſuaſum habeo: quod evidenter ex hac ſtatua repeti potuiſſet.

2 Vide quae adnotavi *pag.* 52.



EX Ithaca 1759. Alt pal: Rom: 7

§. II.

ΣΤΡΑΤΑΓΟΝ . ϛραταγὸν .

QVVM omnes propemodum, quae Peloponneſum incolebant, gentes, Dorica dialecto, omnium citra dubitationem antiquiſſima [1] uſae ſint; tum Lacones illam plerumque retinuiſſe, dilucide, invicteque produnt eorum foedera, litterae, teſtamenta, publicaeque ſanctiones [2]. Quamobrem in hoc Gytheatarum pſephiſmate familiari quodam Doriſmo ſcriptum offenditur pro *ϛρατηγὸν* ΣΤΡΑΤΑΓΟΝ; namque, quod ait EVSTATHIVS, *χαίρουσι Δωριεῖς τῇ τοῦ η εἰς α μεταποιήσει* [3]. Sed quoniam multiplex, ac varia huic vocabulo ſubeſt ſignificatio, noſtra intererit perveſtigare, quae nam ſit anteponenda, & quae cum his, quae T. QVINCTIVS apud Gytheatas egit, aptius congruat, atque conſentiat: niſi enim id aperte, vereque conſtituatur, atque probetur, nutans, incertaque videri poterit noſtra Graeci epigrammatis verſio. Itaque **Στρατηγοὶ**, quemadmodum a SPANHEMIO ad JVLIANI IMP. orationes [4] animadverſum eſt, duplicis fuerant generis: *οἱ ἐπὶ τῶν ὅπλων*, atque *οἱ ἐπὶ τῆς εἰρήνης*, belli nimirum, paciſque. Quum enim hujus muneris nomenclatio ducta, petitaque ſit *ἀπὸ τοῦ ϛρατοῦ*, *Multitudo* tam pro armata, quam pro urbana hominum manu, tam pro exercitu, quam pro civium coetu accipi commodiſſime poteſt. Meritoque lexicorum conditoribus id vitio vertit idem SPANHEMIVS, quod hanc vocem, ipſiuſque derivata ad militiam, remque caſtrenſem unice referant; quum ex AESCHYLO, PINDARO, SOPHOCLE aperte conſtet, hoc no-

1 IAMBLICHVS *in Vita Pythagorae cap.* XXXIV.
2 V. MAITTAIRE *de Graecae linguae dialectis in Praef.* HEVPELIVS *de Graecar. dialectorum proprietatibus*.
3 *Ad Odyſs.* Δ.
4 *Ad Orat.* I. *pag.* 76.

nomine quamcumque turbam nuncupari [1]. Quin etiam, ſi rem ad vivum reſeces, idem de nativa, ac primigenia hujus vocis ſignificatione videtur ſtatuendum, quod LEO, & CONSTANTINVS Augg. in delectu Legum dixere de Ἄρχοντι, ſive de homine, qui in turba, ac multitudine primas partes occupat, locumque principem tenet: τὸ τοῦ ἄρχοντος ὄνομα γενικόν ἐστι, καὶ σημαίνει καὶ στρατηγὸν, καὶ ἀνθύπατον, καὶ πάντας τοὺς τῶν ἐπαρχιῶν διοικητάς, *praeſidis nomen genericum eſt, & ſignificat, & exercitus ducem, & Proconſulem, & omnes provincias regentes* [2]. Et ſane quam generica, & anceps ſit ea vox στρατηγὸς, indicio eſt, quod nonnumquam in publicis monimentis diſtincta officii deſignatio illi adderetur, qua internoſci revera poſſet, πολεμικὴ ne, an vero πολιτικὴ eſſet στρατηγία. Nam quorſum Smyrnaei T. Flavium Oneſimum Paternianum appellant **ΣΤΡΑΤΗΓΟΝ ΕΠΙ ΤΩΝ ΟΠΛΩΝ** [3], Megarenſes autem Ariſtonem, & Dionyſium **ΣΤΡΑΤΗΓΟΝ ΤΗΣ ΠΟΛΕΩΣ** [4] nuncupant? Certe, niſi ego vehementer fallor, quia ex mera voce στρατηγὸς haud tuto deprehendi poſſet, num militiae imperium, an potius rerum urbanarum poteſtas hiſce viris conceſſa fuiſſet. Sequitur ergo τὸν στρατηγὸν nunc *Militare*, nunc *Civicum* munus exſtitiſſe. Verumtamen haec ipſa gemina acceptio moleſtiam, difficultatemque affert plurimam, qua ratione intelligi, reddi, explicarique debeat vox στρατηγὸς, quum in priſcis lapidibus, quemadmodum in hoc noſtro, ſolitarie poſita occurrit.

Porro ſi ad auctoritatem faciendam valent Graecarum urbium nummi, qui formula **ΕΠΙ ΣΤΡΑΤΗΓΟΥ**, potiſſimum poſt Domitianum [5] obſignati crebrius viſuntur, manet ad unum omnium antiquariorum firma conſenſio, *Civicum*

1 *Ibi*. tum etiam *de Vſu*, & *Praeſt. Numiſmat. Diſs*. IX. §. I.
2 *Tit*. VI. *de Praeſidibus in genere. In Jure Graeco-Romano* LEVNCLAVII *T*. I. *pag*. 89.
3 *Marmora Oxonien. pag*. 148.
4 SPONIVS *in Miſcellaneis pag*. 327.
5 VAILLANTIVS *de Graec. Numiſm. Imperator.*

vicum prorſus officium inibi denotari [1]. Hinc ea vox in Latinum tranſmiſſa, non *Dux*, neque *Imperator*, ſed *Praetor* reddi conſuevit [2]. Sicque interpretandum monent luculentiſſima IVLIANI [3], & LIBANII [4] verba. Quibus ſcriptoribus longe antiquior eſt adjungendus ARISTOTELES, qui quandoquidem ϛρατηγὸν, & πολέμαρχον diſtinxit [5], videtur alterum rei urbanae, alterum bellicae praefeciſſe. Eò etiam facit eximius juris Romani, ſive MODESTINI locus, quem primus vidit vir acerrimo ingenio HARDVINVS [6]. Is vero ſic habet: ἐὰν ὁ τῆ πόλεως ἄρχων τυγχάνῃ ϛρατηγὸς, *Praeſes urbis hoc eſt Strategus* [7]. Tandem adducta jam a me POLYBII ſententia [8] haud obſcure innuit, remotiſſima etiam aetate ϛρατηγίαν penes Achaeos non exercitus Praeturam, ſed urbanum fuiſſe Magiſtratum. Ex quibus illud effici videtur, in marmore Gytheati T. Quinctium **ΣΤΡΑΤΑΓΟΝ** appellari, non quia Romanorum, Sociarumque civitatum copias duxerit, ſed civicas Gythii res adminiſtraverit.

Nihiloſecius non eſt omnis iſta ratio tam explorata ad id, quod quaerimus, definiendum, quam videtur. Nam quis eat inficias, primaevam hujuſce vocis acceptionem prorſus bellicam extitiſſe, quandoquidem illa ab armorum Praefectura ad urbanum Magiſtratum traducta, huic ſerius tributa, accommodataque fuit? Eſt ad id firmiſſimum, atque locupletiſſimum PHILOSTRATI teſtimonium, qui quum de Athenarum Strategis verba faceret, remque univerſam a principio repeteret, ſcriptum reliquit: ἥδε ἀρχὴ αὐτὴ πάλαι μὲν κατέλεγέ τε καὶ ἐξῆγεν εἰς τὰ πολέμια, νυνὶ δὲ τροφῶν ἐπιμελεῖται καὶ σίτου ἀγορᾶς. *Haec praefectura* (ϛρατηγία)

P. III. P

1 VANDALEVS *Diſſert. Antiquit. V. de Strategis* VAILLANTIVS, & SPANHEM. *ubi ſupra*.
2 *Vid.* LIEBEVM *Gotha Nummar. cap.* IX.
3 *l. c.*
4 *Orat. pro Ariſtoph.*
5 *Politicor. lib.* VIII. *cap. ult.*
6 *Nummi Populor. & Vrbium pag.*22.
7 *Lib.* XXVII. *Digeſt. tit.*1. *de excuſationibus leg.* XV.
8 *Pagina* 85.

γία) *olim quidem cenſum faciebat, & ad bella educebat, nunc vero annonam, & fori alimenta curat* [1]. Quid ad eam ſententiam tutandam expreſſius? Igitur quum noſtra inſcriptio in vetuſtiſſimis merito numerari queat, conſequitur ſane Gytheatas, quum titulo ςρατηγȣ̃ uſi ſunt ad T. Quinctii memoriam concelebrandam, eo ſpectaſſe, ut ſupremum Romani exercitus Ducem, potius quam urbis ſuae Praeſidem deſignarent. Nec profecto inter Gythii Archontas recenſere poterant ſtrenuiſſimum Ducem, quem nullum apud ipſos Magiſtratum noverant obiiſſe. Equidem *Agonotheta* ab Argivorum Conventu fuit creatus, quum ob redditam Lacedaemoniis libertatem, pulſumque immaniſſimum Tyrannum Nabin, celeberrimi ludi Nemeaei populo dati ſunt [2]; ſed is peractis T. Quinctius Elatiam, unde ad bellum Spartanum profectus erat, copias reduxit [3], neque quidpiam aliud Gythii ab illo fuiſſe geſtum traditur. Quapropter quum in inſcriptione Statuae ſuppoſita ab incolis munitiſſimi Laconum Navalis **Στρατηγὸς** eſt dictus, tantummodo bellicae virtuti ipſius acclamatum fuit, quemadmodum a caeteris ſociis civitatibus factum fuerat poſt devictum Philippum [4].

Haec quum ita ſint, permirum videbitur, me in epigrammatis verſione, quam commentario praefixi **τὸν Στρατηγὸν** *Praetorem* potius, quam *Ducem* reddidiſſe. Sed nihil ſic Latinum, ſic conſentaneum, propriumque eſſe duxi ad ſupremam a Senatu huic homini conceſſam poteſtatem priſco, & aptiſſimo verbo exprimendam. Antiquitus enim uti apud Graecos **Στρατηγὸς**, ita penes Latinos *Praetor*, quaſi *Praeitor*, militare vocabulum omnino fuit. Quod quam verum ſit, colligi poteſt ex Q. ASCONII PEDIANI ver-

1 *De Vitis Sophiſtarum lib.* I.

2 De tempore, quo hi Nemeaei ludi, T. Quinctio Agonotheta, celebrati ſunt, minus accurate ſcripſiſſe videtur DODWELLVS, cujus ſententiam idcirco refellit inſignis harum quaeſtionum arbiter CORSINVS. *Diſſertat. Agoniſticae Diſs.* III. *Nemea* §. XIII.

3 LIVIVS *lib.* XXXIV. *cap.* XL.

4 Vid. POLYBIVM *Excerpta Legationum*. IX.

verbis : *Praetor omnis Magiſtratus appellatur , cui pareret exercitus* [1]. Sed adhuc diſertius ſolertiſſimus ille originum inveſtigator Varro : *Praetor dictus , qui praeiret jure , & exercitu* [2]. Nec illud etiam indictum praeteribo , eſſe in hujus vocis ſcriptura inſuetam unius characteris conformationem , unde de genuina lectione dubitatio injici poſſet . Superior ſcilicet ſextae litterae ductus ita ſinuatur , ut fortaſſe P imaginem referre videatur : ex quo depravata , & ἄσημος vox ΣΤΡΑΤΑΡΟΝ emergeret . In quo , aliquod certe ſphalma Lapicidae vitio irrepſit . Namque aut Γ incorrecta forma pinxit , aut ſi pro Γ revera ſculpſit Ρ , altera in culpa eſſet , ob praetermiſſum elementum Χ ; tunc enim ſcribendum fuerat : ΣΤΡΑΤΑΡΧΟΝ . Ego equidem in ſatis emendatae ſcriptionis marmore malui characterem etſi incompta figura exaratum obvio ſenſu pro Γ habere , quam alterum Χ , cui locus minime patebat , ingerere .

P 2 §. III.

1 *Comment. in* I. *Verr.*
2 *De L. L. lib.* IV. *cap.* XIV.



Ex Aere duplo majori.

§. III.

ΥΠΑΤΟΝΡΩΜΑΙΩΝ

ὕπατον ῥωμαίων.

CONSVLATVM quam feſtinato [1], quam honorifice, quam elato, obfirmatoque ad virtutem animo, adeptus ſit T. Quinctius, ſatis compertum puto ex his, quae huc uſque retuli. Sed de anno, quo ſummum hunc in Repub. Magiſtratum geſſit, nonnihil perturbat nos opinionum varietas, hominumque doctorum diſſenſio. Quod ut percipiatur, rem totam aperiam. SIGONIVS quidem, qui omnem Faſtorum ſeriem integri quadriennii προχρονισμῷ reduxit, Conſulatum Titi Flaminini anno Vrbis conditae 552. conſignavit [2]. A qua temporum ſupputatione prorſus abſcedunt Marmora Capitolina [3], Faſti IDACIO Aquiflavienſi in Galloecia Epiſcopo tributi [4], PANVINIVS [5], Faſti Vindobonenſes [6], & qui hujus artis antiſtes eſt habitus, PETAVIVS [7]; horum quippe con-

1 Annali lege cavebatur, ne cui ante annum tertium ſupra quadrageſimum Conſulatum capere jus eſſet. Omnium inſtar ſit M. TVLLIVS, qui *Philippic. V. cap.* XVII. verba faciens de Alexandri Macedonis obitu, qui incidit in triceſimum tertium aetatis ſuae annum, inquit: *quae eſt aetas noſtris legibus decem annis minor, quam Conſularis*. Sed ibi obſervat CICERO nonnumquam adoleſcentibus etiam ad hunc Magiſtratum aditum patuiſſe; quemadmodum Quinctio accidit: *recentiore etiam memoria* (addit ille) *ſuperior Africanus, T. Flamininus admodum adoleſcentes Conſules facti, tantas res geſſerunt, ut P. R. imperium auxerint, nomen ornarint*. Triginta annorum major non erat Titus, quum Conſul creatus fuit, ſi vera perhibet POLYBIVS *lib.* XVII. Ergo praematura quadam ſapientiae claritate legibus ſolvi promeruit, ut cum M. TVLLIO dicere liceat: *ex quo judicari poteſt, virtutis eſſe, quam aetatis curſum celeriorem*. loc. cit.

2 *Faſti Conſular ad Hiſtoriam Livianam comparati.*

3 *Loco ſuperius indicato.*

4 Apud LABBEVM *Biblioth. MSS. l. c.*

5 *l. c.*

6 *l. c.*

7 *De Doctrina Temporum lib.* XIII.

concordi ſuffragio in an. V. C. 556. deferri id debet. Et quoniam non tam auctores, ut a Cicerone praeclare dictum eſt, in diſputando, quam rationis momenta quaerenda ſunt, profecto poſterior hic calculus eo magis eſt anteponendus, quo evidentius aſtronomicis obſervationibus, tamquam certis notis, ac characteribus ſuffulcitur [1], computatione nimirum Solis, & Lunae defectuum, qui quo ſingillatim tempore acciderint, liquet apertiſſime. Igitur in hac epocha, Sigonio etiam, aliiſque repugnantibus, videtur omnino conquieſcendum. Tres aliae praeterea irrepſerunt in Annalium Conſularium deſcriptione labes, quas purgaſſe, removiſſeque praeſtabit, ne de noſtri pſephiſmatis aetate quidpiam perperam ſtatuatur. Ac primo eam nonnulli animo imbiberunt ſententiam, Titum Flamininum, quem ego ad ambiguitate tollendam, *Macedonicum* jure appello, duplicem egiſſe Conſulatum, primum, ut diximus, anno V. C. 556. alterum vero anno 562. [2] Sed qui ita exiſtimant, vereor ne quicquam aliud habeant praeſidii, quo relictae, deſertaeque ſententiae patrocinium ſuſpiciant, praeter Chronicon Alexandrinum, in quo legere eſt [3]:

ρμϛʹ ΟΛΥΜΠΙΑΣ

Φλαμινίνȣ τὸ Β. ϗ Λεβωβάρβȣ.

Exinde certe in poſteriorum ſcriptorum libros id erroris proſiluit. Verum illius calligraphi imperitia, qui pro Ἀενωβάρβȣ depravatiſſime ſcripſit λεβωβάρβȣ, illud τὸ Β. inopportune ingeſtum fuit. Nam Quinctius eo anno Conſul factus, ut eſt apud Livium, is erat, *qui Claſſi in Graecia praefuerat* [4]. Porro maris imperium non Tito, ſed Lucio Flaminino ipſius fratri commendatum fuiſſe, certiſſimum eſt. Quare expungenda nota illa Chronologica, quam Conſulatus Tito iterum delatus dicitur, & *Flaminino* praefigenda littera L, non T. Adde huc, ſi placet, quod ſi T. Quinctius anno 562. Conſul

1 Petavius *de D. T. lib.* IX. *cap.* LVI.
2 Bailrus *ad Gemmas Theſauri ab* Embermaieri *c.* III. *n.* XCIII.
3 Memoratae editionis *pag.* 414.
4 *lib.* XXXV. *cap.* X.

ſul *Secundum* fuiſſet creatus, inter duos illius Conſulatus ſexennium ſolummodo interceſſiſſet. At lege, quam nobis conſervavit Cicero, interdicebatur intra decem annos eumdem Conſulem refici. *Eumdem Magiſtratum, ni interfuerint decem anni, ne quis capito. Aevitatem annali lege ſervanto* [1]. Et quamvis Titus pro Conſulatu adipiſcendo digniſſimus habitus fuerit, qui aetatis lege ſolveretur, attamen iterum de lege illi fuiſſe remiſſum pro altero Magiſtratu ineundo, nequaquam novimus.

Non minus magno in errore eſt illorum ſententia, qui quum in Faſtis ad an. V. C. 604. rurſum *Titi Quinctii Flaminini* nomen offendant, hunc Macedonicum eſſe arbitrantur. Cui idcirco ſine teſte, ſine auctore, ſatis diuturnum vitae ſpatium tribuunt; ſi enim tum temporis adhuc lucis uſura fruebatur, pluſquam octogenarius erat. Sed is, qui eo anno Conſulatum tenuit in Marmoribus Capitolinis dicitur T. F. T. N. *Titi Filius, Titi Nepos*. Igitur non idem ac Macedonicus (qui avum habuit Lucium) ſed Macedonici filius fuiſſe videtur. Quod intererat monere, ne Statuae dedicatio longe antea facta ad hanc ſequiorem detruderetur aetatem. Emendandum etiam in Chronicis Cassiodori tabulis hujus Conſulis praenomen Lvcivs [2]; Titus enim is appellabatur. Tandem ubi in Faſtis ad an. V. C. 631. Codex Vindobonenſis habet: *Coſs. Metello, & Apellato* [3], hoc poſteriore nomine exploſo, alterum Titi Quinctii Flaminini Macedonici Nepotis eſſe ſufficiendum, veterum marmorum, atque ſcriptorum fide nixus contendo, atque affirmo. Igitur ne ejuſmodi ambages qua opinionum varietate, qua librariorum ignorantia partae offenſionem praetendant in definiendis annis, quibus illuſtres Flaminini poſt Titum Macedonicum Conſulatum tenuere; optimum factu duxi, ſi laterculum proponerem, in quo omni ambiguitate ſublata, unoque veluti obtutu de vera cujuſque Conſulis aetate aeſtimare liceret. Eſto itaque, LA-

1 *De legibus lib.* III. *cap.* I.
2 *Opp.* Cassiod. *tom.* I.
3 Apud Norisivm loco ſupra adducto.

LATERCVLVS CONSVLATVVM FLAMININORVM

FASTI LATINI.	FASTI GRAECI.
An. V.C. 556. *ante Aeram Chr.* 198. TITVS QVINCTIVS FLAMININVS *Macedonicus* Titi Filius Lucii Nepos. Sextus Aelius Paitus Catus.	ΟΛΥΜΠΙΑΣ ρμέ ἔτος γ Τ. Κ. φλαμινίνȣ ϗ Παίτȣ.
An. V. C. 562. *ante Aer. Chr.* 192. LVCIVS QVINCTIVS FLAMININVS Titi Filius Lucii Nepos T. Q. *Macedonici* Frater. Cneius Domitius Ahenobarbus.	ΟΛΥΜΠΙΑΣ ρμζ' ἔτος α Λ. Κ. φλαμινίνȣ ϗ Ἀενωβάρβȣ.
An. V. C. 604. *ante Aer. Chr.* 150. TITVS QVINCTIVS FLAMININVS Titi Quinctii *Macedonici* Filius Titi Nepos. Marcus Acilius Balbus.	ΟΛΥΜΠΙΑΣ ρνζ' ἔτος γ Τ. Κ. φλαμινίνȣ ϗ Βάλβȣ.
An. V. C. 631. *ante Aer Chr.* 123. TITVS QVINCTIVS FLAMININVS Titi Quinctii Filius *Macedonici* Nepos. Q. Caecilius Metellus Balearicus.	ΟΛΥΜΠΙΑΣ ρξδ' ἔτος γ Τ. Κ. φλαμινίνȣ ϗ Μετέλλȣ.

Verum

Verum ubi emerſiſſe jam e vadis, & ſyrtes praetervecta videbatur oratio, novos immaneſque ſcopulos offendimus, quibus plurimum impeditur, atque retardatur curſus illius. Nam ſi Quinctii Macedonici Conſulatus incidit in an. 556. nec alium deinde geſſit, qui fieri potuit, ut a populo Gytheatarum Ὕπατος τῶν Ῥωμαίων diceretur? Enimvero nonniſi anno V. C. 559., quo ille de Nabi victoriam tulit, hoc grati animi monumentum Tito decernere potuit, neque illum ante id tempus τὸν αὐτῦ Σωτῆρα appellare. Atqui eo anno Conſulatus M. Porcio Catoni, & L. Valerio Flacco, a P. R. delatus fuerat. Pugnat ergo vehementer cum certiſſima Conſulum ſerie Gytheatarum pſephiſma. Quamvis plurimum difficultatis, atque negotii ea res ſpecie tenus praeſeferat, nihilominus tanta a Livio lux mihi praemonſtratur, ut ex ejuſmodi ſalebris feliciter evadere liceat. Enimvero an. 557. creatis Conſulibus P. Cornelio Cethego, & Q. Minutio Rufo, Comitia *Tito Quinctio prorogarunt imperium, donec ſucceſſor ei veniſſet* [1]. Sed novi Conſules bello Italico occupati [2], nihil umquam de Graecia adeunda cogitarunt. Anno mox inſequuto 558. *imperium Tito prorogatum jam ſatis videri coepit* [3]; nihilominus nec L. Furius Purpureo, nec M. Claudius Marcellus Conſules facti, in Graeciam iter inſtituit, ut in Titi vicem ſuccederet. Tandem an. 556. *quum diu* (in Senatu) *diſceptatum eſſet, utrum jam cauſſae ſatis videretur, cur decerneretur, an permitteretur Tito Quinctio, quod ad Nabin Lacedaemoniorum attineret, faceret, quae e Republica cenſeret eſſe: permiſerunt* [4]. Ergo iterum prorogata illi fuit in Peloponneſo rerum omnium poteſtas. Jam quod ex hac omni argumentatione conſequens eſt, palam proponam. His expoſitis efficitur plane, Graecas Civitates, ipſumque Gythium toto eo triennio nullum alium τὸν Ὕπατον Ῥωμαίων

1 Livius *lib.* XXXI. *cap.* XXVIII.
2 *Ibidem*.
3 *lib.* XXXIII. *cap.* XXV.
4 *lib.* XXXIII. *cap.* XLV.

μαίων agnoviſſe, praeter unum T. Quinctium Flamininum; nulloque alio Conſule in Graeciam appulſo, omnes, quae erant Conſulis, partes ipſum unice egiſſe. Itaque quid ni *Conſul* a Gytheatis nuncuparetur, ſi honorifica haec nomenclatio cum ea, quam illic gerebat, perſona omnino cohaerebat? Verum quid probabilia, aut externa conquiro, quum res per ſe ſe ita in promptu ſit, ut diſputatione non egeat? Repetenda ea eſt ex laeto belli Philippici eventu. Quum Corinthi ludi Iſthmii populo darentur, ob devictos Macedones, reſtitutamque a Tito Quinctio Graeciae tranquillitatem, atque ad ſpectaculum Romani etiam conſediſſent, Praeco in mediam Arenam, unde carmine ſollemni indici ſolebat, tuba ſilentio facto, hoc Romani Senatus edictum pronunciavit: Ῥωμαίων ἡ σύγκλητος καὶ Τίτος Κοΐγκτιος, στρατηγὸς, ὕπατος καταπολεμήσαντες Βασιλέα Φίλιππον, καὶ Μακεδόνας, ἀφιᾶσιν ἀφρουρήτους καὶ ἐλευθέρους, καὶ ἀφορολογήτους, νόμοις χρωμένους τοῖς πατρίοις Κορινθίους, Λοκροὺς &c. *Senatus Romanus, & Titus Quinctius Praetor, & Conſul Philippo, Macedonibuſque devictis, ſine praeſidiis, liberos, immunes, ſuis legibus utentes eſſe jubent Corinthios, Locros &c.* [1] Id vero ecquem praeterit, accidiſſe anno 557., quo certe T. Quinctio alii jam ſuffecti fuerant Conſules? Qua ergo ratione in tanta hominum frequentia, in lege Senatus nomine promulgata, atque a publico Praecone adhuc Conſulis nomine donatur? Profecto, quia etſi Conſulatus illi iterum delatus nequaquam fuiſſet, attamen ob prorogatum ei imperium eadem adhuc apud Graecos praeſtabat munia, eademque potiebatur auctoritate, qua primum Conſul factus in Graeciam venerat. Sed quae in cauſſa fuerant, quamobrem hoc primo poſt verum, propriumque ipſius Conſulatum anno adhuc Conſul nuncuparetur, eadem efficiebant, ut anno tertio liceret Gytheatis ſimili prorſus nomine illum appellare. Nam quemadmodum in ſuſcepta contra Philippum expeditione, ita in altera adverſus Nabin unus ipſe

1 PLVTARCHVS *in T. Q.*

T. Quinctius rebus omnibus ſummo cum imperio praefuit, atque conſuluit. Eſt etiam illud animadvertendum, Gytheatas a Romanorum conſuetudine non omnino diſceſſiſſe; his ſiquidem, ſi VANDALEVM audias [1], non inſolens fuit viris de Repub. optime meritis Magiſtratus alicujus denominationem, eo etiam exacto, honoris cauſſa permittere. Quamquam ſi Romana lingua loqui velimus, eum, qui Conſulatu fuerat defunctus, *Proconſulem* potius dici fas erit. Commendanda idcirco hac in re GOLTZII accuratio, qui ad an. 560. triumphalem T. Quinctii in Vrbem redditum narrans, hoc caſtigatiori vocabulo uſus eſt [2].

T. QVINCTIVS . T. F. L. N. FLAMININVS
PRO COS.
EX . MACEDONIA . DE . REGE . PHILIPPO
PER . TRIDVVM.

§. IV.

1 *Diſſert. Antiquitat. l. c.*
2 *Faſti Triumph. Romanor. ad eum ann.*



Alt. palm. Rom. 2. 7.
ex Ins melos

ſ. IV.

ΟΔΑΜΟΣΟΓΥΘΕΤΑΝ

ὁ . δᾶμος . ὁ . γυθεατᾶν .

ΓΥΘΕΑΤΑΙ δὲ τῆς Πόλεως ἀνθρώπων μὲν οὐδένα οἰκιστὴν γένεσθαι λέγουσιν, Ἡρακλέα καὶ Ἀπόλλωνα ὑπὲρ τοῦ τρίποδος ἐς ἀγῶνα ἐλθόντας, ὡς διηλλάγησαν, μετὰ τὴν ἔριν οἰκίσαι κοινῇ τὴν πόλιν. καὶ ἐν τῇ ἀγορᾷ σφίσιν Ἀπόλλωνος καὶ Ἡρακλέους ἐστὶν ἀγάλματα, πλησίον δὲ αὐτῶν Διόνυσος. *Gytheatae nemini omnino mortalium origines ſuas acceptas referunt, ſed Herculem, & Apollinem memorant, quum in certamen de Tripode deſcendiſſent, jam lite dirempta, oppidum communi ope, atque conſilio condidiſſe. Quare in foro ſua ſunt Diis ipſis poſita ſimulacra, Apollini ſcilicet, & Herculi: proxime vero eſt Bacchus* [1]. Si vera ſunt haec Gythii primordia, quae nam in Laconicis urbs de antiquitate, nobilitateque cum illo contendat? Sed fuerat id Graecis Civitatibus frequentiſſimum non homines, ſed coelites, ſuperoſque ſui conditores jactare, ut originis praeſtantia, vetuſtateque caeteris anteire putarentur. Ego quidem id genus fabulamenta in tanta praeſertim certarum, verarumque laudum copia nequaquam ſequor. Sunt alia minime commentitia Gythii decora, atque ornamenta, unde firmius, ac verius peti poteſt illius commendatio. Quanta illi a ſitu, a fluviis, a promontorio accedebat pulchritudo, atque commoditas? Quantae munitiſſimi portus, & tranquilliſſimae ſtationis gratia illuc appellebant exterarum gentium naves? Quanto denique nomine eam urbem eſſe oportuit, quam, bellicoſa Lacedaemonum gens ad navalis rei

Q 2 belli-

1 PAUSANIAS *lib.* III. ſive *Laconic. cap.* XXI. Anaglyphum exquiſitiſſimi operis Herculem ſubrepto Tripode (unde contentio illa, cujus hic meminit PAUSANIAS) Apollinemque inſequentem referens, edidimus *Volum.* I. *Part.* I. *pag.* 114.

bellicae apparationem, praeſidiumque delegerat? Gythium autem quum laudo, non heic ego tricas illas grammaticas de genuina, rectaque hujus nominis pronunciatione importunius obtrudam; neutra ne terminatione, uti apud omnes propemodum auctores obtinuit [1], ſcribi debeat, an praeſtet efferri per ſimplex *Iota*, quemadmodum nos PTOLEMAEVM [2], STRABONEM [3], POLYBIVM [4], ac LYCOPHRONEM [5], ſequuti fecimus; an potius per diphthongum, Γύθειον, ut XENOPHON [6], SCYLAX CARIANDENSIS [7], & STEPHANVS [8] ſcribere maluerunt. Librariorum licentiae, aut feſtinationi plerumque tribuendae id genus varietates, nec ex Codicibus, quum inter ſe diſſident, certa & conſtans lectio exprimi poteſt, niſi adjumento ſint vetera monumenta, unde meliora palaeographiae exempla ſumi queunt. Amplexanda, atque anteferenda tum videtur receptior, atque communior probatorum librorum ſcribendi ratio. Linquamus igitur haec, quae adeo ſunt ambigua, ut certiora conſectemur. Quum de Gythii laudibus omnium ſit fama conſentiens, tum de illius celebritate, opulentia, ſplendore loquuntur nummi Gytheatarum nomine procuſi. Hos in duo genera placet partiri: alii quippe ſunt juſſu Magiſtratus percuſſi, antequam ea urbs in Romani Imperii finibus concluderetur, pareretque Auguſtorum auctoritati. Ejuſmodi eſt ille, cujus ectypum damus.

Qui

---

1 MELA *de Situ Orbis lib.* II. *cap.* III. habet *Gythius* maſculina terminatione; quod ſcribae minus accurato excidiſſe videtur.

2 *lib.* III. *cap.* XVI. Πελοποννήσου Θέσις.

3 *lib.* VIII.

4 *lib.* V.

5 *Caſſandra v.* 98.

6 Hellenicῶν *lib.* II.

7 *In Periplo*. ΛΑΚΕΔΑΙΜΩΝ. 17. Sed inibi pro Γύθειον, legendum Γύθιον jam monuerat ISAACVS VOSSIVS. *Geograph. Min.* edit. HVDSONII *tom.* II.

8 *De Vrbibus* Γ.



Qui primas nummariae doctrinae praeceptiones norunt, facile conſentient, vocem illam **ΕΠΙΕΥΔ**, quae popularium nomen **ΓΥΘΕΑΤΩΝ** inſequitur, bifariam eſſe ſecandam, atque interpungendam, ſub eaque alterum latere nomen, urbis nimirum Strategi, quo publicam rem adminiſtrante, moneta ſignata fuit; ut ſtatim legendum ſuccurrat: **ΕΠΙ ΕΥΔΑΜΟΥ**. Sane in nummis **Κώων** compendiariam inſcriptionem: **ΕΠΙΕΥΚ** reddi, explicarique oportere, **ΕΠΙ ΕΥΚΑΡΠΟΥ**, alii ejuſdem Civitatis nummi edocuerunt. Nobis etſi praeſto haud ſit alius **Γυθεατῶν** nummus, ex quo certa, atque evidens hujus epigraphae interpretatio mutuari liceat; ab ea tamen, quam protulimus, vix recedi poſſe, fidentiſſime aſſeveramus. Idcirco in cenſum, atque ſyllabum Magiſtratuum, Praetorum, Archontum, quorum nominibus Graecarum urbium nummi diſtinguuntur, referendus EVDAMVS Gytheatarum, ut credo, Ephorus. Cur autem in averſa hujus nummi facie Bacchus imberbis, & ſenium neſciens,

> *ipſe racemiferis frontem circumdatus uvis*
> *pampineis* . . . .

exſculptus compareat, perſpicue colligitur ex ipſis PAVSANIAE verbis, unde exorſi ſumus; quod nempe Dionyſius ſingulari religione a Gytheatis coleretur, habereturque in ſoſpi-

ſoſpitalium, ac tutelarium urbis Deorum numero[1]. Gythii vero conditionem aperte innuit antica hujus nummi pars. Victoria enim prorae navis inſiſtens, coronam audaci manu portendens, palmamque victricem tenens, belle oſtendit, urbem illam *Navale* exſtitiſſe, ibique Lacedaemoniis praeſidia omnia ad maritimos triumphos conſueviſſe apparari.

In alteram nummorum claſſem eos recenſeo, quos Gytheatae, veteri aeris flandi, feriundi jure retento, in honorem Auguſtorum, & Auguſtarum, ut Caracallae, Juliae Domnae, Plautillae[2] cudi fecerunt; quique diuturnam, perpetuamque hujus Civitatis gloriam, ac celebritatem manifeſtant. Quibus in nummis quum ἐθνικὸν Oppidanorum non per αν, ſed per ων terminetur, **ΓΥΘΕΑΤΩΝ**, dubitari merito poſſet, Gytheatas ſuam priſcam Dialectum deſeruiſſe. Sed urbis illius incolas utramque terminationem promiſcue retinuiſſe, evincunt tum nummus Caracallae, quem HARDVINVS ſe vidiſſe teſtatur[3], cum lemmate **ΓΥΘΕΑΤΑΝ**, tum haec noſtra pſephiſmata per eadem ferme tempora exarata, quorum duo priora Dorice habent **ΓΥΘΕΑΤΑΝ**, poſtremum vero **ΓΥΘΕΑΤΩΝ**.

§. V.

---

1 Herculis, & Apollinis, a quibus potiſſimum Gythium diligi, ac cuſtodiri credebatur, imagines referunt nummi JVLIAE DOMNAE, & CARACALLAE.

2 VAILLANTIVS *Num. Graeci*.

3 *Nummi Populor. & Vrbium pag.*187.

§. V.

ΤΟΝ ΑΥΤΟΥΣΩΤΗΡΑ
τὸν αὐτοῦ σωτῆρα.

MAGNA, atque perhonorifica ſic ſemper eſt habita Σωτῆρος appellatio, ut ea nonniſi ſummis, ac ſtrenuiſſimis viris tributa reperiatur. Principio quidem Deorum omnino propria viſa eſt, quos tantummodo ſalutem dare poſſe, Ethnicis ipſis perſuaſum fuerat: tum Regibus conceſſa fuit, quippe qui Deorum ſatu prognati fingerentur. Quare, ut ad EVRIPIDIS *Hippolytum* obſervat ARSENIVS Monembaſiae in Peloponneſo Archiepiſcopus, duplex illud nomen ἄναξ, & σωτὴρ, quod coelitibus reſervatum putabatur, principibus eſt datum, qui proinde ad Numinum ſimilitudinem ἄνακτες, & σωτῆρες dici coeperunt [1]. Non hic omnia Regum, ac Principum nomina ſuſcipiam recitanda, quibus ſive aſſentatio, ſive metus, ſive recte factorum granditas ejuſmodi appellationem comparavit. Abſolutiſſimam *de Diis, Hominibuſque Servatoribus* commentationem ſuperioribus annis vulgavit vir optimis ſtudiis excultus, noſtrique amantiſſimus SCHLAEGERVS [2], qui vix aliquid hac in re dicendum aliis fecit reliquum, ac ſingulos fere Duces, vel Imperatores priſca aetate ΣΩΤΗΡΑΣ dictos diligentiſſime enumeravit. Illud potius e re noſtra eſſe duco, ſi petitis a veteri hiſtoria exemplis, oſtendero, hujus nominis originem a bellicis expeditionibus accerſiri debere, Graecaſque civitates illud Regibus, Ducibuſque primum attribuiſſe, qui non tam infenſiſſimos hoſtes profligaverant, quam optatiſſimam omnibus libertatem una cum victoria aſſeruerant. Vt ab antiquiſſimis initium capiam Gelonem fortiſſimum Syracuſarum Principem ab univerſo Siculorum conventu εὐερ-

1 *Verſ.* 88.
2 *Helmſtadii* 1737.

ἐυεργέτην καὶ Σωτῆρα fuiſſe proclamatum, tradit DIODORVS [1]. Sed dignus erat habitus, qui hoc nomine compellaretur, poſtquam Carthaginenſium exercitu ad Himeram fuſo, peneque deleto, Siciliam a diutinae ſervitutis metu liberaverat. Nemo tamen hoc cognomen frequentius eſt conſequutus, quam Seleucidarum Regum ſtirps; quae caeteroquin ob debellatos hoſtes, Civeſque ſervatos illud plerumque accepiſſe deprehenditur. In ea mihi ſtatim occurrit Demetrius Θεὸς Φιλοπάτωρ. Is quum Heraclidem in fugam egiſſet, & Timarchum, qui Babylone tyrannice dominabatur, morte multaſſet, a Babyloniis, inquit APPIANVS [2], ἐφ' ᾧ Σωτὴρ ὠνομάσθη, *exinde Servator eſt appellatus*. Praeterea Antiochus I. Seleuci filius Σωτῆρος nomen curnam adeptus fuit, ſi LVCIANO [3] eſt credendum, niſi quia Gallos Aſiam inſultantes ingenti clade, atque victoria proſtraverat? Quid item dicam de Ptolemaeo Lagi filio, cui prae caeteris Seleucidis hoc agnomentum ſic adhaeſit, ut *Soter* per ἀντονομασίαν nuncuparetur? Aut ita cognominatus, quod Alexandrum M. Indorum jaculis pene confectum jacentemque ſcuto ſuo protexerit [4], aut a ſummis beneficiis in Rhodios collatis [5].

Reprimam jam me, aliiſque parcam exemplis, ut ad TITVM QVINCTIVM noſtra ſe ſe referat oratio. Sane quum Gytheatarum populus in hoc decreto T. Q. *ſuum Servatorem*, τὸν ἀυτῶ Σωτῆρα dixit, nihil per aſſentationem feciſſe videntur. Nam quum illos Quinctius tyrannico Nabis imperio exſolviſſet, in priſtinam libertatem vindicaſſet, ac teterrimi belli ſemina exſtinxiſſet, vera, & legitima Gythii incolis ſuppetebat cauſſa, quamobrem hunc Ducem, ac Conſulem illo ipſo honeſtarent titulo, quo a Siculis Gelon, a Babyloniis Demetrius, ab Aſiaticis Civitatibus Antiochus, a Rhodiis Ptole-

1 *Biblioth. lib.* XI. *cap.* XVII.
2 *In Syriacis*.
3 *De Zeuxi*, & *Antiocho*.
4 PLVTARCHVS. *De Fortuna Alexandri*. Id tamen pugnaciſſime negat ARRIANVS *de Expedit. Alex. lib.* VI.
5 *In Attic. cap.* VII.

Ptolemaeus fuit appellatus. Accedebat quaedam aemulatio, quae, uti alias adnotavi, in Graecis urbibus ſemper valuit plurimum, ut Gytheatae Quinctium velut ſuum Servatorem propalam celebrare ſtuderent. Scilicet noverant, foederatas Civitates, quum ludi ob devictum Philippum Corinthi populo darentur, incredibili laetitia geſtientes Quinctium proclamaſſe τὸν σωτῆρα τῆς Ἑλλάδος ϗ προμαχὸν, *Graeciae Servatorem, atque propugnatorem* [1]. Noverant compoſitum carmen a Chalcidenſibus decantatum, quum pro Quinctio Diis litaretur, cujus ille erat intercalaris verſus: ἴηϊε παῖαν ὦ Τίτε σωτήρ, *Io Paean, o Tite Servator* [2]. Quibus exemplis, factiſque eductus Δῆμος Γυθεατῶν intelligebat neceſſe eſſe, ut vel ipſe ſatageret gratum animum teſtari erga hunc inſignem ſui liberatorem, qui oppreſſam urbem levaverat, atque Nabi exturbato, ab illius cervice jugum ſervile dejecerat. Tantumque potuit nobilis hic ardor, ut Gythium caeteras Peloponneſi Civitates ſuperaverit; ſiquidem non fugitiva acclamatione, aut cantilena tantum id ſibi praeſtandum fore duxit, ſed statua, & inſcriptione, quae ad perpetuitatem permanerent. In quo populus Gytheatarum mihi videtur Athenienſium conſilium, ac magnificentiam aemulaſſe, qui, Anaxicrate Archonte, ideſt Olympiadis CXVIII. anno II., ante Aer. Chriſt. 307., quum perſpicerent Demetrio Poliorcertae, ejuſque patri Antigono omnia ſe debere, quorum ope Athenae in libertatem redierant: γράψαντος ψήφισμα Στρατοκλέους, ἐψηφίσαντο χρυσᾶς μὲν εἰκόνας ἐφ᾽ ἅρματος στῆσαι τοῦ τε Ἀντιγόνου ϗ Δημητρίου ..... ϗ βωμὸν ἱδρυσαμένους προσαγορεῦσαι Σωτήρων, *communi per Stratoclem ſcripto decreto juſſerunt, ut statuae aureae in curru Antigono, & Demetrio dedicarentur ..... baſiſque poneretur, in qua Servatores appellarentur* [3]. Gytheatae porro licet non

1 *In T. Quinctio.*

2 *Ibi.*

3 DIODORVS *Biblioth. lib.* XX. *cap.* XXVII. Illud τὸ Βωμὸν hoc quidem loco *baſis* potius, quam *ara* verti oportere exiſtimavi, licet alii contra facien-

curulem, neque auream, ſed pedeſtrem aeream, vel marmoream, ſtatuam [1] Tito Quinctio Macedonico dedicarint, hoc tamen monumento, additaque in baſi inſcriptione, debitam Servatori ſuo, & quantam fortaſſe tum licebat, gratiam rependerunt.

PSE-

faciendum putaverint. Magis enim noſtra verſio cum Hiſtorici ſententia, atque cum uſitata dedicationum formula, *ſignum cum baſi* (de qua *Part.*I. §.IV. *pag.*73. 74.) congruere videtur.


1 Confer quae de marmoreis, aeneiſque illuſtrium virorum ſignis diximus hac ipſa *Part.*III. §.IV. *pag.*48.



Ex Aere.

Alt pal R:–:7

PSEPHISMA SECVNDVM



E Peloponeso 1753 Alt: pal: R. 3:10.

Μάρκον . Λατίνιον . Παν-
δȣ̃σαν . ἁ . Πόλις . τῶν Γυ-
θεατᾶν . (Βιαδίνȣ . Πολείταν
ἀμὸν . Ξένον . ϗ . ἴδιον . εὐεργέ-
ταν .

Latinae linguae ſono ſic attemperamus .
Commune . Gytheatarum . (honorat)
Marcum . Latinium . Pan-
duſam . Biadini . Civem
ſuae . urbis . hoſpitem . ejuſque
benefactorem .

COMMENTARIVS

ALTERVM Gytheatarum pſephiſma explicaturus , nihil eſt, cur de Doricae dialecti , quae heic iterato ſe produnt , veſtigiis quidquam admoneam ; vereor enim ne moleſtus ſim, ſi de tam perſpicuis rebus diutius diſſeram . Neque etiam illud noſtram orationem rurſus deſidera t , quid diſcriminis eſſe queat inter monumenta , quae τȣ̃ Δήμȣ voluntate ponebantur , ut fuit statua , cum baſi memoriae Titi Quinctii a Gytheatis conſecrata , & ea , quae τῆς Πόλεως ſuffragio dedicabantur : qua altera formula iidem ipſi Gytheatae uſi ſunt in hoc marmore , ut Marcum Latinium Panduſam publicis afficerent honoribus . Tactae , explicataeque a me paullo ſuperius [1] ſunt ejuſmodi differentiae . Ad M. Latinium Panduſam , quod attinet , egregie moratum virum , omniumque praedicatione commendatum eum fuiſſe oportuit , ut Civitatis decreto , juſſuque monumentum ſibi poni promeruerit. Sed nae ego ineptiſſimus, ſi quo genere exſtiterit, quid Gythii praeclare fecerit , quave aetate is vixerit , in tanta rerum omnium obſcuritate certo decernere , ac praefinire velim.

1 *Parte* III. §. II.

velim. Duplex quod illi fuerat nomen, Graecae alterum, alterum Latinae compoſitionis, non obſcure innuit Graiis parentibus oriundum fuiſſe, atque beneficio, & amore Romani hominis, qui opibus, auctoritateque valeret, in gentem *Latiniam* cooptatum [1]: cujus quidem familiae vetera marmora centies meminere [2]. Ideoque poſt Romanorum in Peloponneſum adventum, initumque inter utramque nationem commercium vixiſſe apparet. Attamen exiles admodum litterarum ductus, earumque configuratio, totaque inſcriptionis contextura evincere videntur, non procul a Titi Quinctii aetate ejuſmodi lapidem ſcriptum fuiſſe.

Quamquam major fortaſſe ſe prodit obſcuritas, atque perplexitas in tertio verſu, ubi hiat inſcriptio, nempe in ea mutila voce: **ΒΙΑΔ... ΟΥ.** Verum Laconicam regionem circumſpicienti mihi, venit in mentem in his luxati vocabuli laciniis Vrbis nomen deliteſcere, cujus Marcus Latinius Πολίτης fuiſſe dicitur. Siquidem animadverti a Ptolemaeo non longe a Gythio inter Acriam, & Aſopum collocari oppidum, quod **ΒΙΑΝΔΙΝΑ** ab eo appellatur [3]. Obſcura certe ea Vrbs fuit; quandoquidem a nullo alio veterum auctorum, quod ſciam, memoratur: ut proinde in dubitationem revocari merito poſſit, recte ne in Ptolemaei Codicibus ſcriptum fuerit **ΒΙΑΝΔΙΝΑ**, an vero noſtri marmoris fide reſcribendum ſit **ΒΙΑΔΙΝΑ**, vel potius **ΒΙΑΔΙΝΟΣ.** Ego quidem ſi veteris lapidis orthographiam anteponendam eſſe dixero, doctorum hominum judicium, atque inſtitutum ſequar. Igitur, quum in illius vocis hiatu binis litteris commodiſſimus detur aditus, nullus dubitavi **Ι**, & **Ν** ſufficere, ut continuato, obvio, facilique ſenſu legi debeat: **ΒΙΑΔΙΝΟΥ ΠΟΛΕΙΤΑΝ**. Sane nihil fuit factu proclivius, quam ut homo in Vrbe Gythio proxima natus, familiari

1 Vide quae *pag.*24. adnotavimus de hac nominum duplicitate.

2 Praeſto erunt exempla in antiquarum Inſcriptionum collectaneis, ſi illorum indices conſulas, quin importune exſcribam.

3 Loco ſuperius indicato.

miliari quadam Gytheatarum conſuetudine uteretur, atque ab illis hoſpitio pluries exceptus, omnium ſibi conciliaverit benevolentiam. Viciſſim ille gratum, liberalemque ſe ſe Gytheatis praeſtitit, indeque licet alienigena publicum monimentum eſt conſequtus, dictuſque hac de cauſſa **ΙΔΙΟΣ ΕΥΕΡΓΕΤΑΣ**. Opportune heic obſervandum in voce **ΠΟΛΕΙΤΑΝ** *Jota* in diphtongum **ει** reſolvi; quod a Dorienſibus crebro uſurpatum fuiſſe, haec noſtra ipſa Peloponneſia monumenta apprime oſtendunt, in quibus ea nomina occurrunt: **Νεικηφόρις** [1], **Ἐλπίνεικη** [2], **Νεικοκράτης** [3], **Τειμάρχος** [4], **Τειμοκράτης** [5] &c. Imo vero frequens ea *διαίρεσις* in ſaxis Graece ſcriptis, atque ita frequens, ut lapidariae orthographiae quaſi propria videatur. De quo plura dicerem, niſi haec eſſent ante oculos poſita, atque etiam ab aliis jam occupata. Sed illud haud eſt ſilentio praetereundum, eam ipſam vocem **ΠΟΛΕΙΤΗΣ** per **ει** efferri in aliis marmoribus, quorum minime Dorica eſt dialectus [6]. Quapropter ſine ulla dubitatione nimium ſcrupuloſa, ne falſa dicam, appellavero doctiſſimi caeteroquin Jos. SCALIGERI dictata, a quo ſcribitur **ι** in **ει** recte converti ante litteram **ν**, ut **Ἀντωνεῖνος**, **Λατεῖνος**, **Σαβεῖνος**, vitioſe tamen id fieri ante reliquas conſonas [7].

Pergo jam quo me vocant ſequentia inſcriptionis verba, **ΑΜΟΝ ΞΕΝΟΝ**, *noſtrum hoſpitem*, a quibus multo latior ad dicendum panditur campus. Ac primo perſpici inde poteſt, quam immerito Lacedaemones tamquam penitus *ἄξενοι* a pleriſque traducantur, omneſque hoſpites, atque peregrinos [8], illis

1 *Parte* I. *pag*. 10.
2 *Ibi pag*. 17.
3 *pag*. 89.
4 *pag*. 102.
5 *Parte* III. *pag*. 94.
6 SALMASIVS *Inſcript. Antiqu. pag*. 21. Habes etiam in tertio, quod inſequitur, pſephiſmate.
7 *Animadverſiones ad Chronic*. EVSEBII *pag*. 114.
8 CICERO *de lege Agrar*. II. *cap*. XXXIV. hoſpitem a peregrino videtur di-

illis inviſos fuiſſe perhibeatur. Nec eſt cur quiſquam cum CRAGIO [1] contendat Lege Ξενηλασίας peregrinis Spartae commorari haud licuiſſe; facile id enim expeditur. Namque ſaeva, & barbarica lex illa non omnium Lacedaemoniorum Principum inſedit animis, nec ſemper ab omni ea gente cuſtodita fuit, ut velut univerſalis, conſtans, & abſoluta conſuetudo accipi debeat; alias enim qua ratione PINDARVS in Olympicis Tyndari Oebaliae, ſive Laconiae Regis filios φιλοξένους potuiſſet appellare [2]? Et ne auctoritati Poëtarum, a quibus multa confinguntur, omnem cauſſam concredere videar; miſſis aetatis fabularis documentis, preſto eſt fortiſſimus ille Athenienſium Nicias, cui poſt Periclis mortem primae partes fuerunt delatae. Annon a PLVTARCHO πρόξενος τῶν λακεδαιμονίων, *publicus hoſpes Lacedaemoniorum* fuiſſe traditur [3]? Quid pluribus eſt opus? Alter Athenienſium Dux in oratione ad Lacedaemones ipſos habita, omnem dubitandi locum ſuſtulit. Fuit is Callias, qui ſic concionem exorſus eſt: ὦ ἄνδρες λακεδαιμόνιοι τὴν μὲν προξενίαν ὑμῶν οὐκ ἐγὼ μόνος ἀλλὰ καὶ πατρὸς πατὴρ πατρῴαν ἔχων παρεδίδου τῷ γένει, *O viri Lacedaemonii jus hoſpitii publici, quod mihi vobiſcum eſt, non ego primus ſum conſequutus, ſed avus meus a patre quum accepiſſet, familiae noſtrae tradidit* [4]. Abſit ergo a Lacedaemoniis maximeque a Gytheatis dira haec, perpetuaque advenarum averſatio, quandoquidem M. Latinium Panduſam quamvis Biadini civem inter alios ſuos Ξένους retulerunt. Qua in re morem,

---

diſtinxiſſe his verbis: *Nos autem, qui Roma* (Capuam) *veneramus, non hoſpites, ſed peregrini, atque advenae nominabamur*. Equidem multa hoſpitibus, praeſertimque publicis concedebantur jura, atque privilegia, quae advenae minime conſequebantur. Nihilominus pro ſynonimis accipi, uſurparique poſſe ipſemet CICERO alibi docet. Ad Attic. lib. VI. epiſt. III. *Eſt aliquid advenientem, non eſſe peregrinum, atque hoſpitem*. Rurſus Academic. I. cap. IX. *Nos in noſtra Urbe peregrinantes, atque errantes tamquam hoſpites*.

1 *De Repub. Lacedaemon. lib.* III. *tab.* III. *Inſtit.* III.

2 *Ode* III. Θεοξένια.

3 *In Vit. Alcibiadis*.

4 XENOPHON Hellenicῶν *lib.* VI.

rem, atque conſuetudinem ubique terrarum, ac gentium receptam, ſtudioſeque obſervatam procul dubio amplexati ſunt. Enim vero ſi Tauroſcythas excipias, penes quos

Sacrificii genus eſt (ſic inſtituere priores)
Advena virgineo caeſus, ut enſe cadat [1];

quae fuit natio tam fera, tamque immanis, quae aequum, laudabile, & valde decorum non duxerit patere domos hoſpitibus? Quae non intellexerit Reipub. eſſe ornamento, homines externos hoc liberalitatis genere in aliena urbe non egere [2]? Religio ipſa id depoſcebat, quandoquidem hoſpites in ſumma quadam Deorum tutela eſſe credebantur. Aegyptii antiquiſſimum hominum genus, narrante SPENCERO [3], *Chiunum* hoſpitum Deum, atque patronum finxere. Graeci vero a Troicis uſque temporibus Jovem illum, quem idcirco **Ξένιον** dixerunt, hoſpites comitari, eorum curam gerere, offenſaſque vindicare rebantur; quod declarat HOMERVS *Odyſs* *θ*. *v*.270. Multa exinde hoſpitalitati tuendae, fovendaeque inſtituta, ſanctaque fuerunt, quorum pleni ſunt antiquorum libri. Nec tamen mea oratio erit hujuſmodi, ut iſthaec ſumat recenſenda, explicandaque. Saepe, ac diſerte tradita ea ſunt a I. PH. THOMASINO [4], MOEBIO [5], SCHILTERO [6], SIMO-

---

1 Notiſſimum omnibus eſt Tauros, qui Tauricam Cherſoneſum incoluere, Dianam hoſpitum maſtatione placaſſe, aut ſe placare poſſe, crediſſe. Plura EVRIPIDIS SCHOLIASTES *ad Iphigen. in Tauris*. Barbaricum morem DIODORVS ipſe vocavit *lib*.VI. Legendi HERODOTVS *lib*.IV. STRABO *lib*.V. PAVSANIAS *Achaic*. ſive *lib*. VII. ORIGENES *contra Celſum lib*.V. LACTANTIVS *Divinar. Inſtitut. lib*. I. *cap*.XXI. EVSEBIVS *Praeparat. Evangel. lib*. IV. *cap*.VI. Humano hoſpitum ſanguine ab aliis etiam populis quandoque fuiſſe litatum accepimus. Ne exempla, teſtimoniaque huc faſtidioſe conferam, adi JO. GOD. VNGERVM *Analecta Antiquario Sacra* P.III. *de* Ξενοκτονία, *ejuſque ritu antiquo*, ubi haec ſatis copioſe, docteque pertractantur.

2 CICERO *de Officiis lib*.II. *cap*.XVIII.

3 *De legibus Hebraeor. lib*.III. *Diſſert*.I. *cap*.III.

4 *De Teſſeris Hoſpitalitatis liber, in quo jus Hoſpitii expenditur &c.*

5 *De variis Teſſeris praeſertim Hoſpital.*

6 *De jure Hoſpitii apud veteres*.

MONIO [1], PH. THEOD. VERPOORTEN [2], COLVMBO [3], I. GVIL. BERGERO [4]. Nihilominus nonnullae quaeſtiones ſupereſſe, mihi videntur controverſiis adhuc implicatae, nec ſatis accurate diremptae, quas hic ego dilucidare conabor, ut, quod ſoleo, in rebus jam quaeſitis, ac diſputatis novum aliquid expromam.

Vt a perverſa vocum interpretatione initium capiam, quemadmodum **Ξένος** promiſcue accipitur, tum pro eo, qui apud alterum diverſatur, tum pro eo, qui peregrinum hominem tecto, ac domo recipit; ita **Πρόξενος** ne dum ſumitur pro alienigena, qui totius Civitatis nomine publico hoſpitio eſt exceptus, ſed vere, proprieque ſignificat Magiſtratum, qui advenis excipiendis praeeſt, hoſpitiumque illis praebendum curat. Quae differentia ſaepe a multis neglecta efficit, ut perperam explicentur Graecarum Civitatum pſephiſmata, & qui **Πρόξενοι** in illis dicuntur, ab interpretibus pro *Advenis* communiter accipiantur, quum inibi Hoſpitum Patroni, & Hoſpitalis commorationis Curatores hoc nomine deſignentur. Hujus muneris, quod in quavis bene morata Repub. videtur obtinuiſſe, praeter SVIDAM [5], & POLLVCEM [6], meminit EVSTATHIVS [7]. Nec liberum ulli fuerat huic officio vacare, niſi ſuffragio Civitatis ad illud eſſet delectus, ut habet vetus THVCYDIDIS SCHOLIASTES: *οἱ Πρόξενοι κελευόμενοι ἐκ τῆς αὐτῶν πόλεως ἐγίνοντο*, *Hoſpitii Curatores ad id munus ab urbe ſua deſignabantur* [8]. Si vero regium eſſet imperium, **Πρόξενος** ab eo, cui ſumma rerum poteſtas concredita fuerat, deputabatur; ita

1 *Diſſertation de l' Hoſpitalité. Memoires de l' Academie des Inſcriptions &c. tom.* III.
2 *Diſſertatio de verbo Ξένος, & Peregrinorum apud veteres conditione.*
3 *Diſſert de Sale Hoſpitali.*
4 *De Lautiis Veterum.*
5 *Lex. h. v.*
6 *Lib.* V. *cap.* IV.
7 *In Iliad. γ.*
8 *Ad lib.* III. *cap.* LXX.

apud Spartanos, Herodoto auctore [1], Regibus jus erat: Προξενίας ἀποδεικνύναι τὰς ἂν ἐθέλωσι τῶν ἀστῶν, *quos vellent e Civibus publici hoſpitii curatores renunciare*. Praeclarum autem, & quovis libero homine dignum munus fuiſſe planum fit, ex eo, quod cum aliis nobiliſſimis Magiſtratibus copularetur. Delphorum Civitas, ne plura accumulem, Philippo Apolloni Calymnio inſimul conceſſerunt exercendam **ΠΡΟΞΕΝΙΑΝ, ΠΡΟΜΑΝΤΕΙΑΝ, ΠΡΟΕΔΡΙΑΝ, ΠΡΟΔΙΚΙΑΝ** [2]. Rurſus Dicaearchum Philonidam Laodicenum Πρόξενον creatum inſigni Sacerdotio, ludorumque praefectura honeſtarunt [3]. In quo poſteriori exemplo animadvertendum eſt, Proxeniae adminiſtrandae eos nonnunquam renunciari, qui fuerant ξένοι. At ſive accolae, ſive incolae ad id muneris legerentur, nemo eum Magiſtratum indipiſcebatur, niſi ob inſignes, praeſtanteſque in urbem, populumque liberalitates. Qua enim alia de cauſſa fit, ut in omnibus id genus inſcriptionibus qui **ΠΡΟΞΕΝΟΙ** fuerunt, iidem **ΕΥΕΡΓΕΤΑΙ** appellentur?

Haec quum adeo firma, explorataque ſint, nemo non intelliget, mendoſe facere qui in vetuſtis lapidibus Πρόξενον conſtanter interpretantur, *publicum Hoſpitem,* quum plerumque verti debeat, *Hoſpitii Curatorem*. Verum unum hoc, quod alicujus quidem momenti ſit, heic nobis objici poterit. Igitur Marcus Latinius Panduſa in Gytheatarum decreto non Πρόξενος, ſed Ξένος tantummodo dictus, non publicus, ſed privati alicujus hominis hoſpes fuerat. Huic argutationi non ſane deſidero quid reſpondeam, tota enim ſua levitate diruitur. Nonne Civitas ipſa publico nomine ἁμὸν Ξένον illum nuncupat? Ex eo potius deduci poſſe crediderim, hoc pſephiſma emendatiſſimis verbis fuiſſe deſcriptum; ſi quidem vox Πρόξενος ſuapte vi hoſpitum praeſidem, aut prin-

1 *Lib.* VI. Ex quo loco rurſus emergit Lacedaemones injuria ἀξένους a multis putari.

2 Mvrat. *Nov. Theſaur.* DLXXXVIII. 2.

3 Ibi *pag. ſequent.*

principem ſignificat; Ξένος autem hoſpes: qui ſi publicus ſit, probe, eleganterque per illud ἄμον, vel ἀμῶν a privato diſcernitur.

Magnum ſane, ac ſplendidiſſimum ornamentum accedebat illi, qui jus publici hoſpitii in celebri urbe aliqua fuiſſet conſequutus, & quantum ex producta Calliae oratione inferre licet, erat hereditarium, totique familiae perhonorificum privilegium, quod ad filios, poſteroſque tranſmittebatur: multa enim hinc manabant commoda, atque emolumenta. Sed altera indidem ſuboritur quaeſtio, num jus hoſpitii cum jure Civitatis aliquando componeretur. Haec omnium ferme conſenſu recepta ſententia eſt, alterum ab altero excludi, atque illud afferri ſolet, quod Euxitheus apud DEMOSTHENEM dixit: οὐ γάρ ξένην καὶ ξένον τοὺς ἐμαυτοῦ γονέας ἐπιγραψάμενος μετέχειν ἠξίου τῆς πόλεως, *neque enim ſi peregrinam, & peregrinum parentes meos habuiſſe profeſſus eſſem, frui Civitate inſtituiſſem* [1]. Erat quidem Proxenia quoddam foederis genus, ſed ſimplicis amicitiae, atque humanitatis, proindeque a jure naturae profectum [2]; arcebanturque illius gratia ſimultates, offenſae, inſultationes: quapropter Glaucus, & Diomedes audito invicem alterius nomine, ob ſancitum inter ſuos majores mutuum hoſpitium, a pugna deſtiterunt [3]. Accedebat aliquando foedus bellicum, ex quo praeſtantior quaedam in ſocietatem redundabat utilitas. Cujuſmodi fuit pactum, quod Alyattes Lydorum Rex inivit cum Mileſiis, ἐπ' ᾧ τε ξείνους ἀλλήλοισι εἶναι καὶ συμμάχους, *ut mutuo eſſent hoſpites, belli que ſocii* [4]. Atqui apud Graecos nobilitatis originalis tuendae adeo ſtudioſos, & quod idem DEMOSTHENES monuit, μεγάλην, καὶ τιμίαν, καὶ σέμνην τὴν αὐτὴν πατρίδα ἡγούμενοι, καὶ πάσης μεῖζον εὐεργεσίας, *magnam, & praeclaram, ac venerabilem ſuam* pa-

1 *Orat. contra Eubulidem*.
2 JAC. ZIGENHAGEN *de Obligatione Foederum* §. IV. V. VI.
3 *Iliad.* 5. *v.* 354.
4 HERODOTUS *lib.* I., ſive *Clio*.

patriam exiſtimantes, & quovis majorem beneficio[1], neutrum foedus ſive amicitiae, ſive belli, inquiunt, efficiebat, ut Civitas cum hoſpitibus communicaretur. His ego tamen argumentis nequaquam moveor, ut in eam deſcendam opinionem. Nam licet ex antiquis ſcriptoribus id evinci videatur, ſecus tamen accidiſſe, oſtendunt litterati lapides, qui ſunt optimi, incorruptique vetuſtatis nuncii.

Exſtat Senatus, Populique Delii dogma, quo Clinodemo Siphnio Leboti filio, Hoſpitique publico honores decernuntur ad hunc modum. **Δέδοχθαι τῇ βουλῇ, καὶ τῷ Δήμῳ ἐπαινέσαι Κλείνοδημον Λήβωτου Σίφνιον ... καὶ εἶναι ἀυτὸν πρόξενον, καὶ ἐυεργέτην τοῦτε ἱεροῦ, καὶ Δηλίων, καὶ ἀυτόν, καὶ ἐγγόνους. εἶναι δὲ ἀυτοῖς ἐν Δήλῳ γῆς, καὶ οἰκίας ἔγκτησιν, καὶ πρόσοδον πρὸς τὴν βουλὴν, καὶ τὸν Δῆμον ..... ὑπάρχειν δὲ ἀυτοῖς καὶ τὰ ἄλλα πάντα, ὅσα δέδοται καὶ τοῖς ἄλλοις προξένοις, καὶ ἐυεργέταις.** *Placere Senatui, & Populo honorare Clinodemum Leboti F. Siphnium ..... & agnoſci illum publicum hoſpitem, & benefactorem erga templum, & Delios ipſum etiam poſteroſque ipſius: fore item iis in Delo & praedii, & domicilii poſſeſſionem, & ingreſſum in Senatum, & Concilium populi*

1. *Adverſus Ariſtocratem*. Aliter de Romanis accidiſſe, perhibet DIONYSIVS HALICARN. *Antiq. l.* III. qui ad fundandum imperium Civitatem τοῖς βουλομένοις, *quibuſcumque petentibus* a primis Romae cunabulis impertiti ſunt; etſi aucto ſatis, multiplicatoque Civium numero hoſpites *peregrinae conditionis* remanſerint. Hinc latae inſequutis aetatibus *Lex Licinia & Lex Mucia*, quibus cautum ne in Civium cenſu peregrini haberentur. Succenſet tamen ſuis Athenienſibus idem DEMOSTHENES tum in περὶ συντάξεως, tum contra Ariſtocratem, quod amplificando Civium ordini ignobilibus, deviĉtis, perditiſque hominibus jus Civitatis nonnumquam attributum fuerit. CICERO pariter pro *Corn. Balbo cap.* XII. Athenienſium morem tangit: *In Graecis Civitatibus videmus, Athenis Rhodios, Lacedaemonios, caeteros undique adſcribi*. Ne exteros Reges memorem Perdiccam, Cotym, Sitalcem, Evagoram, Leuconem, aut viros, doctrinae laude commendatos, ut Hippocratem, Apollodorum Cyzicenum, Heraclidem Clazomenium, Poetas, Oratores, Athletas ab Athenienſibus Cives adſcitos, centies hunc honorem cum ſuis hoſpitibus nec regio ſanguine, nec ſapientia, aut arte ulla claris communicarunt,

populi . . . . . fore etiam illis caetera omnia , quae dari ſolent aliis hoſpitibus publicis , & benefactoribus [1] . Jam vero ex hoc pſephiſmate cernimus quatuor eſſe , quae Delii Clinodemo hoſpiti ſuo impertierunt . Scilicet , ut legitimum domicilium , atque etiam latifundia in Delo haberet , judiciorum, ac Magiſtratuum eſſet particeps , obtineretque caetera commoda immunitatis , honoris , libertatiſque . Sed quibus, quaeſo , rebus jus civitatis , ſive **ἰσοπολιτεία** , & **συμπολιτεία** continebatur , niſi iis ipſis , quas modo enumeravimus ? Sequitur ergo Clinodemum Delii **Πρόξενον** Civem fuiſſe adſcitum . Itaque falluntur , qui jus hoſpitii per ſe ſe cum jure Civitatis confligere , atque pugnare contendunt . Atque eo magis falluntur , quo contumelioſius Hoſpitibus exſtitiſſet , iis maxime , qui benevolentia , & liberalitate praeſtantes , qui fideliſſimi , qui amicitia etiam juncti fuerant, illis ipſis proemiis , & honoribus perpetuo excludi , qui ſtipendiariis , hoſtibus , exulibus , inquilinis , infimaque conditione ſervis interdum patebant .

Gytheatae non videntur hunc honorem permiſiſſe M. Latinio Panduſae , qui Biadini Civis ab illis nominatur . Nam etſi non raro contingeret , unum eumdemque hominem multarum Civitatum eſſe **συμπολίτην** , nullum tamen in marmore micat veſtigium , ex quo colligere liceat , illum Biadino , & Gythio fuiſſe adſcriptum . Imo vero minime haeſitans affirmarim , nullam aliam cum Gytheatis illi communionem fuiſſe , niſi quae ex liberalitate , jureque hoſpitii proficiſcitur . Quandoquidem vero Gytheatas praeclara adeo benevolentia in ſuos hoſpites fuiſſe conſpicimus , veroſimillimum , ac prope evidens fit , exſtitiſſe in ea urbe publicam Hoſpitalem domum , qua advenae gratis [2] , liberalitaterque exce-

---

1 *Marmora Oxonienſia Append. num.* 11I.

2 Diſtinguenda omnino ſunt publica Vrbium *Hoſpitia* a diverſoriis , ſive Tabernis , & Cauponis , ubi nemini , niſi mercede ſoluta , hoſpitari , noctemque tranſigere concedebantur ; quum contra in aede hoſpitali

excepti, lavatione, ferculo, lectiſternio, donarentur. Maximam hac in re laudem videntur conſequuti Cretenſes, qui per totam Inſulam peregrinorum commodo Hoſpitia cum tricliniis, & cubiculis deputaverant [1]: quae etiam apud Romanos fuit Xenodochiorum ſtructura [2]. Quamquam advenis ſpectatae originis, aut qui alio nomine ſupra caeteros ſe attollerent, conſuevit peculiare hoſpitium parari, aut in privatorum domos aditus patere. Ad ſummam nihil erat, quod hoſpitii neceſſitudini ſancte colendae non efficeretur. Illorum porro nomen, cum quibus Vrbes non incelebres publice hoſpitium feciſſent, ut Syracuſani cum L. Tullio Marci Fratre [3], Gaditani cum L. Cornelio [4], Civitas Thermetra cum C. Sillio [5], aeneis, marmoreiſque tabulis incidebatur; quod quum nonniſi ſententiis, ac ſuffragiis fieret, ampliſſimi honoris loco habebatur. Jure igitur optimo Civitatis Gytheatarum decretum, quo M. Latinii Panduſae nomen

tali gratuito omnia tectum, ferculum, cubile tribuerentur. PLATO hoſpitalitatis amantiſſimus *in lib.* II. *de legibus* Cauponariam ſuis civibus interdixit, optabatque in quovis bene conſtituto oppido Hoſpitia eſſe abſque mercedis ſpe. Neſcio an quod in votis habuit, unquam evenerit. Eſt locus CICERONIS *de Divinat. lib.* I. *cap.* XXVII. ubi duos illos Arcades memorat, qui quum Megaram veniſſent, alter ad *hoſpitem*, alter ad *cauponem* divertit: ex quo mercenaria diverſoria in opulentiſſimis etiam civitatibus obtinuiſſe apparet. Quamvis autem Ethnicos hoſpitalitatis ſtudioſiſſimos fuiſſe concedam, attamen haec virtus Chriſtianorum propria exſtitit, & nova per Dei filium lata caritatis lege, tota ad illius cultores devoluta eſt. Mitto Patres CHRYSOSTOMVM, AVGVSTINVM, BASILIVM, PAVLINVM, AMBROSIVM, alioſque: mitto Laodiceni Concilii canonem de πτωχείῳ, & ξενοδοχείῳ: teſtem evocabo JVLIANVM Imp., qui noſtra inſtituta, licet perverſo animo aemulari ſtuduit. Is namque *epiſt.* XLIX. ad Arſacium jubet talia Xenodochia fabricari, τῆς Χριστιανῶν εὐνοίας μιμούμενος, *Chriſtianorum beneficentiam imitatus*, ut inquit THEOPHANES *in Chronographia*. Vid etiam CHRIST. RANDELIVM *de Xenodochiis*.

1 ATHENAEVS *Deipn. lib.* IV. *cap.* IX.

2 Adi VITRVVIVM *lib.* VI. *cap.* X.

3 *In Verrem lib.* IV. *cap.* LXV.

4 *Pro Cornelio Balbo cap.* XVIII.

5 Pſephiſma Themetrenſium edidit OCTAVIVS RVBEVS in antiquitatibus Brixienſibus: fides ſit penes illum.

nomen ad nos uſque magnifice propagatum eſt, inter honorarias inſcriptiones a me recenſetur. Huic honori augendo exemplar ſancitae hoſpitalitatis aeri inſculptum nonnunquam a Civitatibus dabatur ei, qui illam merito ſuo erat adeptus. De L. Tullio teſtatur Marcus Frater [1]. Idem praeſtitere Agrigentini cum Demetrio Diodoti Filio domo Syracuſis [2]. Qui quum ſimiliter fuiſſet Πρόξενος καὶ Ἐυεργέτης τοῦ Δήμου τῶν Μελιταίων, hunc nactus eſt honorem, ut Senatus, Populuſque Melitenſium juſſerit: προξενίαν ταύτην ἀναγράψαι εἰς χαλκώματα δύο, καὶ τὸ ἓν δοῦναι Δημητρίῳ Διοδότου, *publicam hoſpitalitatem inſcribi tabulis aeneis duabus, & unam dari Demetrio Diodoti Filio* [3].

Diverſae tamen fuerant ejuſmodi Laminae a *Symbolis, Teſſeriſve*, quae hoſpitibus diſcedentibus contradebantur, ut eſſent certum amicitiae pignus, inviolandique foederis ſignum, indeque ſi de caetero contingeret, advenis in eamdem, unde diſceſſerant, urbem remeare, teſſera producta, pari humanitate, benevolentiaque rurſus acciperentur. Atque ejuſmodi teſſeras nudum quoddam ligneum, aut eburneum ἀστράγαλον in duas partes ſciſſum fuiſſe tradit EVRIPIDIS SCHOLIASTES [4]. Verum Graeci hujus Grammatiſtae verba non ita ſunt accipienda, quaſi nulla alia donarentur figura. Protulimus nos ipſi ante paucos annos teſſeram eburneam ad Lilybeum repertam dexteras commiſſas referentem, & Graeca inſcriptione inſignem, qua Imilchon Chlorus cum Lyſone, poſteriſque ejus dicitur Ξενίαν πεποιηκέναι [5]. Multo haec una caeteris aptior forma eſt; quippe quae primo hoſpitalitatis ritui exprimendo accommodatiſſima videatur; quandoquidem erat id omnibus uſitatum, hoſpites adventantes manibus prehenſare, & dextrae jungere dexteram; ut

1 *loc. citat.*
2 GVALTHERIVS *Siciliae antiquae Tabulae pag.* 62.
3 *Ibi pag. ſeq.*
4 *In Medaeam v.* 613.
5 *Graeci Anaglyphi interpretatio pag.* IX.

ut ex Homeri carminibus, perſpici poteſt [1]. Quamquam moris etiam fuit, ut pro diverſa hominum conditione varia eſſent teſſerarum genera. Nam Reges hoſpitibus ſuis tales tradebant, quae illorum magnificentiam, luxumque referrent. Venuſtiſſimi, & politiſſimi Attici Oratoris Lysiae teſtimonio id oſtenditur, ubi meminit teſſerae, quam Demus Pyrilampus Ariſtophani Nicophemi filio propoſuerat pignori dare, ut xvi minas inde acciperet; erat autem illa aureus cyathus. **Δῆμος γὰρ ὁ Πυριλαμπȣ̃ς, τριηραρχῶν εἰς Κύπρον, ἐδεήθη μȣ̃ προσελθεῖν αὐτῷ, λέγων ὅτι ἔλαβε σύμβολον παρὰ Βασιλέως τȣ̃ μεγάλȣ Φιάλης μὲν χρυσῆς.** *Demus enim Pyrilampus triremibus in Cyprum navigaturis Praefectus, ut ad ſe venirem rogavit: ibi narrat ſibi eſſe teſſeram a Rege magno acceptam, poculum aureum* [2].

PSE-

1 *Odyſſ. γ. v. 34. v. 435.*


2 *Oratione* xix. de *Ariſtophanis bonis ad Aerarium*. Edit. Taylor. Dictu haud ita facile eſt, quis fuerit *magnus Rex*, de quo heic Lysias loquitur. Certe accuratiſſimus orator, qui plurimum ſtuduit perſpicuitati, eo nomine Regem aliquem deſignare debuit, cui ΜΕΓΑΣ eſſet vice cognominis, quique communi ſermone ſic compellaretur. In Perſis id eſt quaerendum, a quibus ad Macedones, Seleucidas, Parthos, Arſacidas, alioſque ambitioſus hic titulus promanavit. In Perſis vero fuit Artaxerſes junior, quem Isocrates *ep. ad Philipp.* omiſſo quovis alio nomine, ΜΕΓΑΝ vocat: adeo in ore hominum frequens, adeo recepta erat iſthaec appellatio, ut ea prolata, ſtatim ille internoſceretur. Sed ſi conjecturis agendum, quid ni dicamus, Demum Pyrilampum ab eo Rege teſſeram auream accepiſſe? Mire inter ſe congruunt tempora. Nam Lyſiae oratio habita perhibetur Olympiade xcviii. Liquet autem Artaxerſem ante non multos annos bellum in Graecia adminiſtraſſe, multiſque Athenienſium amicum ſe praebuiſſe.



Ex Ebore.



PSEPHISMA TERTIVM



E Gythio 1753. Alt: pal: R. 3: 4.

Ἡ . Γυθεατῶν . (Πόλις)
Σιμηλίδαν . Θησέως
Τὸν . ἴδιον . Πολείτην
Ἀρετῆς . ἕνεκεν . καὶ
τῆς . εἰς . αὐτὴν . εὐνοί-
ας . τὸ . ἀνάλωμα
τῶν . τέκνων : ἐξο-
διασάντων . Σεμπρω-
νίου . καὶ . Νεικία .

Ejuſdem verſio :

Gytheatarum . Civitas
Simelidam . Theſei (fil.)
Suum . Civem . (honorat)
Virtutis . & . erga . ipſam
benevolentiae . cauſſa
Impenſam . exſolventibus
Filiis . ejus
Sempronio . & . Nicia.

COM-

COMMENTARIVS

ABEST ab hoc tertio Gytheatarum pſephiſmate purus ille Doriſmus, qui in ſuperioribus ubique emicat. Neque tamen hoc marmor aetate diſpar videtur; ut exinde deduci fas ſit, bilingues, ita dixerim, fuiſſe urbis illius incolas. Permoleſtum illud accidit, ut in epigrammate nulla alia caeteroqui ſui parte mutilo, vitiatove mancus incurrat primus illius verſus. At quid eam vocem **Η ΓΥΘΕΑΤΩΝ** ſtatim inſequi debeat, lacunamque temporis labe marmori inductam explere, ſponte veluti ſua ſe ſe offert. Quis enim ex articulo praepoſitivo ἡ, itemque ex his, quae in quinto verſu leguntur εἰς αὐτὴν, moneri ſe non ſentiat, ſuppleri, reſtituique oportere feminini generis nomen, a quo ἐθνικὸν illud τῶν Γυθεατῶν regatur, veluti **ΒΟΥΛΗ**, vel potius, ut in antecedenti, **ΠΟΛΙΣ**? Nam longiori verbo (ut eſſet **ΣΥΓΚΛΗΤΟΣ**, aut **ΓΕΡΟΥΣΙΑ**) excipiendo, ſimilique charactere deſcribendo non ſatis relinquitur ſpatii. His expoſitis, vix quidpiam aliud heic eſt, cui commentationem aliquam impendamus. Gytheatae, qui in ſuperiori decreto *Hoſpitis*, exterique hominis nomen apud poſteros commendatum voluerunt, in hoc poſtremo *Civem ſuum*, ἴδιον Πολείτην celebrant, inciſamque marmori *virtutis*, *& benevolentiae* illius memoriam oblivione evaneſcere, atque extingui vetant. De monimentis, quae ἀρετῆς, aut εὐνοίας ἕνεκεν publica auctoritate dedicabantur, quum duo Epidauriorum pſephiſmata explicarem, jam diſputavi [1]; otio proinde, litteriſque abuti merito viderer, ſi eadem arriperem retractanda. Duo Simelidae Filii, Theſeique nepotes, Sempronius, & Nicias quum ſuos Cives erga Patrem ipſorum adeo bene

 ani-

1 Hac ipſa *Parte III. pag.* 32. & 97.

animatos perſpicerent, ut honorariam inſcriptionem illi decreverint, libenter pecuniam huic operi perficiendo honoris, pietatiſque cauſſa erogarunt. Atque ex hac ipſa formula: **τὸ ἀνάλωμα ἐξοδιασάντων τῶν τέκνων** licet conjectare huic marmoreae baſi Simelidae statuam additam fuiſſe; namque id genus locutiones ubi de ſignis, non vero de meris titulis ponendis ſermo erat, uſurpatas fuiſſe videmus.

In quo Monumentorum genere diſtinguenda ſunt, quae ſumptu publico conlocanda ſtatuebantur, ab his quae privatorum impendio poni conſueverunt. Quum Civitas aliqua inluſtri cuipiam viro imaginem ſolemniter decreverat, vel opus redemptoribus elocabat, vel Magiſtratus arbitrio, curaeque demandabat, vel pecuniam ad id neceſſariam illi ipſi numerabat, qui honorem impetraverat. Quod non Romae modo, verum in Graecis Civitatibus receptum fuiſſe praeclare indicat CICERO, quum Siciliae Praetorem accuſatorie ſic interpellat. *Quaero abs te utrum ipſae Civitates ſolitae ſint statuas tibi faciundas locare ei, cui poſſent optima conditione locare; an aliquem Curatorem praeficere; an tibi, aut cui tu imperaſſes, adnumerare pecuniam* [1]. Non deerant tamen, qui honore contenti, ne publicum aes ad privatam gloriam alendam averti videretur, impenſam remittebant [2], monumentaque a Repub. impetrata de ſua pecunia erigi curabant. Vſitatum id praeſertim fuiſſe in urbibus, quae eſſent minus opulentae, perhibet DIO CHRYSOSTOMVS [3]. Verum infinitae propemodum ſunt inſcriptiones, quibus erudimur, hoc ipſum ubicumque terrarum accidiſſe. In hac poſteriori monumentorum claſſe recenſendum eſt ſimulacrum, atque etiam perhonori-

1 *Verrina* II. *cap.* LIX.

2 Hinc formulae illae, quae paſſim in lapidibus ſe ſe offerunt H. C. I. R. *Honore contentus impenſam remiſit*; vel H. A. I. R. *Honore accepto impendium remiſſum*.

3 *In Orat. Rhodiaca*.

honorificum epigramma, quod Sempronius, & Nicias uſi indulgentia Civitatis Gytheatarum, & contenti honore decreti, Simelidae Patri de ſuo poni fecerunt. Diu quidem in univerſo Romano orbe mos obtinuit, ut viris de Republicae benemeritis aere publico, vel conlato statuae fabricarentur. At inclinato admodum imperii ſtatu, opibuſque plurimum imminutis, res in eum locum erat adducta, ut P. R. aerario id maxime accideret incommodum; praeſertim, quod omnes in Provincias ad publicam rem adminiſtrandam miſſi hunc affectarent honorem. Quare ut hoc onere, atque diſpendio Reſpublica levaretur, placuit tantam licentiam corripere, atque emendare lege lata Theodoſio, & Albino Coſs. his verbis. *Et virtutum praemia tribui merentibus convenit, & aliorum honores aliis damnorum occaſionem fieri non oportet. Idcirco quoties judicibus noſtris, vel cuilibet alio ſtatua fuerit a quocumque Collegio, ſeu officio, vel in hac ſacratiſſima Civitate, vel in Provinciis poſtulata, nequaquam ex deſcriptione ſumptus colligi patimur. Sed ejus cujus ad honorem petitur, expenſis propriis statuam collocari praecipimus* [1]. Sed alia procul dubio cauſſa fecit, ut Gythii duo Simelidae Filii accepto a Civitate reſcripto, opus ſuis ſumptibus perfici mandaverint. Scilicet vel ut ſuam in optimum patrem pietatem [2], cultumque

1 *In Codice lib.* I. *tit.* XXIV. *de Statuis, & Imaginibus leg.* IV.

2 Haec mihi ſcribenti venit in manus opus eruditiſſimi A. F. ZACHARIAE: *Saggio Critico della corrente Letteratura Straniera &c. tom.* II. *part.* I. quod dudum ab ipſo humaniſſime dono acceperam; atque in eo tres ante annos haec Gytheatarum pſephiſmata fuiſſe evulgata deprehendi: Sed quominus ſuſceptae a me commentationis poeniteat, duo efficiunt. Primum, quod duorum poſteriorum apographa (illius certe qui exſcripſit vitio) depravatiſſima in eo libro occurrant. Alterum, quod in his tribus marmoribus interpretandis longe alius mihi ſenſus fuerit, plurimumque diſſideam ab Anonymo Scriptore, qui CL. ZACHARIAE petitu iiſdem explicandis operam contulit. Cui profecto con-

que teſtarentur , vel ut eorum etiam nomen lapidi perenne defixum ad poſteros cum laude manaret .

ΠΑΡΑΚΟ-

---

condondanda , quae minus accurata exciderunt ; quandoquidem ingenue, honeſteque faſſus eſt , tunc primum ſe ad haec ſtudia animum adjeciſſe .



In Museo Nanio.



Alt. Palm. Rom 7. 3.

ΠΑΡΑΚΟΛΟΥΘΗΜΑ

VOTVM
MINERVAE HYGIAE.

ATTICA monumenta tanto caeteris totius Graeciae anteſtare videntur, quanto originis vetuſtate, cultiorum artium ſtudio, & operum publicorum magnificentia, ac varietate reliquas regionis illius civitates Athenae ipſae longius ſuperabant. In quibus ſic excellere communi conſilio putabantur, ut PHILO tantae Vrbis praeſtantiam ſummatim deſcripturus ea ingenioſiſſima, elegantique ſententia uſus ſit: ὅπερ ἐν ὀφθαλμῷ κόρη, ἢ ἐν ψυχῇ λογισμὸς, τοῦτ' ἐν Ἑλλάδι Ἀθήνη, *quod in oculo pupilla, vel in mente ratio eſt, idem in Graecia Athenae*[1]. Atque in tanta, tamque ſingulari Atticorum monumentorum copia nil mirum videri debet, permulta in auras prodire, quae nova quaedam ſuperſtitioſae religionis indicia, ac documenta praeſeferunt. Nam ob infinitam illam Numinum turbam[2], quam Cecropidae, genus hominum δεισιδαιμονέστατον, coluere, Athenis, referente LVCIANO, ἁπανταχοῦ βωμοὺς ἢ θυσίας, καὶ ναοὺς. μεσταὶ δὲ Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαὶ, πᾶσαι δὲ ἀνθρώπων ἀγοραὶ, *ubique altaria, aut ſacrificia, aut templa* (videbantur).

1 In libro: *Quod omnis probus liber ſit*, prope finem.

2 SALLVSTIVS PHILOS. *lib. de Diis, & Mundo cap.* IX. LVCIANVS *in Abdicato*. PLINIVS H. N. *lib.* XXIX. *cap.* I. QVINTILIANVS *Declamat.* CCLXVIII. *&c.*

Pleni Jove omnes vici, omniaque hominum fora [1]. In hoc autem illuſtrium, ſacrorumque monumentorum cenſu recenſeri oportere anaglyphum hoc nuper ex Athenarum ruinis feliciter eductum, quod hic arripio explicandum, nemo, qui noſtris ſtudiis teneatur, e veſtigio non deprehendet, atque conſentiet. Quod enim in illo ad oculos, animumque accurrit, nullum hactenus marmor, nulla antiqua tabula portenderat. Vt primum in manus, incidit, ea mihi ſtatim injecta animo cogitatio eſt, *Minervae Hygiae*, ſive *Medicae, Votum*, & χαριςήριον hoc toreumate exhiberi: & quo acrius in univerſam affigurationem oculos defixi, vocumque inibi ſuperſtites reliquias diligentius mente contrectavi, eo veriſimilior viſa eſt ſuſcepta ab initio de operis ſignificatione ſententia. Itaque ex his, quae a priſcis ſcriptoribus de cultu Athenienſium erga Deos Averruncos, de Minerva Medica, deque exhibita interdum ab illa mortalibus ſanatione litteris prodita ſunt, probabilem anaglyphi interpretationem conabor eruere. Interim ſuam certe ſibi repoſcit commendationem immortalis Senator Nanivs, qui veteri, ingentique Athenarum gloria, rerumque Graecanicarum incredibili utilitate captus, non indocti hominis opera Atticas antiquitates quovis pretio redimi ſtuduit, & cum multam inde advectam ſupellectilem ſuis aedibus intulerit, tum inſignem hunc lapidem a vaſtitate prohibuit, caeteriſque ſuis id genus opibus adjecit. Quo factum eſt, ut quemadmodum ſecunda, ita nunc tertia noſtrorum commentariorum pars ejuſdem urbis monumentis concludatur.

COM-

---

1 *Encom. Demoſthen.*



Ex Athenis 1700. *alt. pal. Romani 1. 11*

COMMENTARIVS

§. I.

PARS PRIOR ΠΑΡΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ.

MEDICINAM quot quot de ipſius origine ſcripſerunt, a Diis inventam, coeloque delapſam concordi ſententia praedicarunt. Et quamvis Aeſculapio id potiſſimum lau-

di verti ſoleat [1]; attamen perhibet Proclus Minervae etiam hujus inventi gloriam jure attribuiſſe Porphyrium totius antiquitatis callentiſſimum : Πορφύριος δὲ εἰκότως φησὶ καὶ Ἰατρικὴν ἀπὸ τῆς Ἀθηνᾶς ἥκειν, *Porphyrius vero merito dixit, Medicinam quoque a Minerva proficiſci* [2]. Hinc, ut a Svida obſervatum eſt, nomen, quod *Deae Salutis* [3] proprium fuerat, Minervae inhaeſit : Ὑγεία ἐπώνυμον τῆς Ἀθηνᾶς, *Hygia cognomen eſt Minervae* [4]. Talem imprimis agnoviſſe priſca aetate Athenienſes, qui ſapientiſſimi, & in Deorum cultu diligentiſſimi habiti ſunt, monet Aristides in hujus Deae laudatione : προσήκοι δ' ἂν ταύτῃ καὶ τῷ Ἀσκληπιῷ μεγάλῳ μέρει τοῦ πάντος. Ἀθηναίων δὲ οἱ πρεσβύτατοι καὶ Ὑγιείας Ἀθηνᾶς ἱδρύσαντο. εἰ δὲ ἡ ἐκείνων ὀρθὴ ψῆφος, τί χρὴ μεῖζον εὑρεῖν εἰς τὴν Ἀσκληπιοῦ καὶ Ἀθηνᾶς συμφωνίαν, *quin & Aeſculapio magna eſt omnino cum ipſa* (Dea) *affinitas. Si enim Athenienſium antiquiſſimi recte Minervae Medicae aram dedicarunt, ſufficit hoc de Aeſculapio cum Minerva conjunctione teſtimonium* [5]. Huic arae religionis augendae cauſſa ſimulacrum, ut par erat, utriuſque Hygiae Athenienſes adjunxerunt : πλησίον ἀγάλματά ἐστιν Ὑγιείας τε, ἣν Ἀσκληπιοῦ παῖδα εἶναι λέγουσιν, καὶ Ἀθηνᾶς ἐπίκλησιν καὶ ταύτης Ὑγιείας, *ſimulacra Dearum* (inibi) *ſunt Hygiae Aeſculapii filiae, & Minervae, quae & ipſa Hygiae nomine appellatur* [6]. Cujuſmodi vero effingeretur ſignum *Minervae Medicae*, deduci perquam facile poterit ex ipſius effigie, quae vel lapillis inſculpta [7], vel nummis expreſſa [8] occurrit. In his galea criſtata, clypeoque

---

1 Confer Scriptores de Aeſculapio agentes, quos initio hujus II. voluminis *pag.* 4. *not.* 2. indicavimus.
2 *In Timaeo lib.* I.
3 Adi eoſdem Scriptores, quorum mox meminimus.
4 *In v.* Ὑγίεια Ἀθηνᾶ.
5 *Orat.* II. *tom.* I. *edit.* Samvelis Jebb.
6 Pavsanias *Attic.* ſive *lib.* I. *cap.* XXIII.
7 Montfavconivs *Diar. Italic. cap.* VIII.
8 Tristanvs *Commentaires Hiſtoriques ſur les Medailles tom.* I. in Julia Sabina.

peoque de more munita, baculum manu tenet, ſerpente eidem convoluto. Quoniamque hoc ſymbolo ſalutem dare aptiſſime monſtrabatur [1], non videtur ambigendum Athenienſes hac ipſa forma, ſpecieque, quae erat veteri religione conſecrata, illam repraeſentaſſe.

Hoc quidem loco ipſa Athenienſium religio ſuperſtitionis pleniſſima, nonnihil obturbat, atque moratur; quaerendumque, videtur, num apud illos eadem eſſet Minerva **Ὑγίεια**, quae **Σώτειρα**, & quae **Παιώνια**. Certe ſi HESYCHIO fides, **Σώτειρα ἡ Ἀθηνᾶ παρὰ τοῖς Ἕλλησι**, *idem eſt ſervatrix, ac Minerva penes Graecos* [2]. Atque hoc praeſertim nomine remotiſſimis temporibus cultam fuiſſe apparet, quod Vlyſſes reverſus a bello Troiano traditur in vertice montis Borei *ποιῆσαι τὸ ἱερὸν Ἀθηνᾷ τε σωτείρᾳ, feciſſe templum Minervae Soſpitae* [3]. Athenis autem proprieque Acropoli, ſive in arce delubrum **Ἀθηνᾶς σωτειρίας** exſtitiſſe, accepimus a LYCVRGO in oratione adverſus Leocratem [4]. Rurſus in ſignis, quae erant in porticu a Ceramico ad portam, numeratur a PAVSANIA **ἄγαλμα Ἀθηνᾶς Παιωνίας** [5], quae alibi aram etiam obtinuit [6] Diverſa ne ergo munia tres Minervae obire fingebantur, an vero una eademque Dea licet diverſis hiſce nominibus nuncupata artem ſalutarem putabatur exercere? Sane etſi multo latius pateat *Soſpitae*, quam *Medicae* appellatio, & non morbis modo, ſed cuivis rerum hamanarum diſcrimini, periculoque ſuccurrere poſſe illa crederetur; hac ipſa de cauſſa quis dubitet, **Ἀθηνᾶν σώτειραν** invocaſſe, qui adverſa conflictabantur valetudine, ejuſque numine morbos exſtinctos, depulſoſque

1 Hoc argumentum nos ipſi copioſe verſavimus in Explicatione Tabulae Peloponnenſis ad calcem *Animadverſion. Philologic. ad Nummos Marci Antonii ſect.* x. *pag.*114.

2 *Lexic. v.* Σώτειρα.

3 PAVSANIAS *Arcadic.*, ſive *lib.* VIII. *cap.* XLIV.

4 *pag.* 114.

5 *Attic. cap.* I.

6 *Ibi. cap.* XXXIV.

ſoſque fuiſſe? Quid dicam de *Παιωνίᾳ*, quae tota medica vox eſt? Atque probabilius id fit, ſi cogitemus fuiſſe, qui morborum curationes, redditamque ex inſperato ſalutem Minervae *Poliadi* [1], & Minervae *Memori* acceptam retulerunt. Hoc quidem ex antiquis Graecis, Latiniſque epigrammatis intelligi poteſt; cujuſmodi ſunt illa duo.

ΑΘΗΝΑι . ΠΟΛΙΑΔΙ
ΧΑΡΙϹΤΗΡΙΟΝ
ΥΠΕΡ . ΤΗϹ . ΠΑΤΡΩΝΟϹ
ϹΩΤΗΡΙΑϹ.

Minervae . Vrbanae
Gratiarum . actio
pro . reſtituta . Patrono
ſalute [2].

Item illud Latine ſcriptum [3].

MINERVAE . MEMORI
COELIA . IVLIANA
INDVLGENTIA
MEDICINARVM . EIVS
INFIRMITATE . GRAVI
LIBERATA
D. S.

At ſi ab Vrbana, Memorique Minerva, qui aegro erant corpore, ſanationem praeſtolabantur, quanto magis a Soſpita, Poeoniaque expectarent? Verumtamen quia haec medicinae auctrix ſaepenumero oraculum reddens remedia indica-

1 Meminit Minervae *Poliatidis* PAVSANIAS in *Arcadic.* ſive *lib.* VIII. *cap.* XLVII.
2 Apud CVPERVM *Inſcriptiones*, *&* *Marmora antiqua illuſtrata p.*301.
3 GRVTERVS *pag.* LXXXI. 9.

dicabat, praebebatque, quibus permulti convaleſcebant, placuit ſub hoc ſpeciali Ὑγιείας nomine illam colere, eique aras, ſignaque dedicare.

Neque id Graecis tantum, ſed Romanis etiam commune fuerat. Quid hic ego Placentinam inſcriptionem recitem, in qua *Valeria Sammonia Minervae Medicae votum ſolvit* [1]; quum in omnium oculis poſita ſit multo ſplendidior hujus cultus teſtificatio? Adhuc aetatem ferunt in Vrbe aeterna, atque in Regione Eſquilina parietes, multaque concamerationis pars templi *Minervae Medicae*, quod a SEX. RVFO ob aliorum, ut ego quidem interpretor, Deorum Salutarium conſortium, *Pantheum* appellatur [2]. In hoc autem fano certas medicationes cubantibus, opemque poſcentibus Deam praebuiſſe ex CICERONE aperte diſcimus, quum Deos ſuos irridens dixit: *Si ſine medico medicinam dabit Minerva, Muſae ſcribendi, legendi, caeterarumque artium ſcientiam ſomniantibus non dabunt* [3]? Proprium quidem fuerat Deorum omnium qui Medicinae Praeſides fingebantur, deridiculum hoc praeſtigii genus, quemadmodum ab HENR. MEIBOMIO conraſis undique exemplis demonſtratum eſt [4], ut per quietem aſtuto, mentitoque oraculo ſuo, quod STRABONI μαντεῖον ἐγκοιμωμένων dicitur [5], curationem poſcentibus inducerent, & collyria nihil plerumque profutura ſomniantibus monſtrarent. Iſidem, quae Aegyptios medicinam docuiſſe perhibebatur, hominibus in aede ipſius dormientibus pharmaca indicaſſe, eorumque ope oculis captos, aliave corporis parte mutilatos priſtini vigoris integritatem recuperaſſe, fabulatur DIODORVS [6]. Hoc ipſo nomine celeberrimum, ac frequentiſſimum Alexandriae evaſit Serapidis delu-

1 GRVTER. MLXVII. 3.
2 Adi MONTFAVCONIVM, *loc. cit.* ubi templi ichnographia exhibetur.
3 *De Divinatione lib.* II.
4 *De Incubatione in Deorum fanis Medicinae cauſſa olim facta.*
5 *lib.* XI.
6 *Biblioth. lib.* I. *cap.* XXV.

delubrum [1]. Nullus tamen Deorum mortalibus ſic impoſuit, ut primus ille medicinae inventor Aeſculapius, a quo in Inſula Coo [2], Pergami [3], in Lybiae monte [4], ipſiſque Athenis [5] mira quaedam remedia per ſomnum captantibus praeſcripta fuiſſe, memoriae proditum eſt. Ab Iſide, Serapide, & Aeſculapio non diſſocianda profecto Minerva Hygia, cujus afflatu medicamina *κατ᾽ ὄναρ* fuiſſe monſtrata, narrant veteres libri.

Exemplum ab Attica hiſtoria caeteris dimiſſis accerſere praeſtabit, quod cum ſuſcepta oratione apprime illud conſentiat, indidemque nonnihil praeſidii, atque lucis affulgere videatur noſtri anaglyphi emblematis explicandis. Athenis itaque quum *Cecropia*, ſive Arx Periclis juſſu, conſilioque fundata, ad ſummum jam eſſet perducta, propylaea addi coeperunt; quae dum exſtruerentur, Mneſicles Architectus ſuper faſtigium repens, ut opus diligentiae, curaeque ipſius commiſſum recognoſceret, inde delapſus, tam graviter offendit, ut de eo medici deſperarent. Miſerando hoc caſu vehementer animo perculſus Pericles, moleſteque ferens eximii artificis, Vernaeque ſui infortunium, Minervam amantiſſimam loci cuſtodem obteſtatus eſt, quae exorata auxilio fuit, precantique per viſum ſuccurrit. PLVTARCHI verba apponam: *ἀθυμοῦντος δὲ τοῦ Περικλέως, ἡ Θεὸς ὄναρ φανεῖσα, συνέταξε θεραπείαν, ᾗ χρώμενος ὁ Μνεσικλῆς, ταχὺ καὶ ῥαδίως ἰάσατο τὸν ἄνθρωπον. ἐπὶ τούτῳ δὲ καὶ τὸ χαλκοῦν ἄγαλμα τῆς Ὑγίειας Ἀθηνᾶς ἀνέστησεν ἐν ἀκροπόλει, παρὰ τὸν Βωμόν. Anxio autem animo Pericle, Dea in ſomno illi*

1 ARTEMIDORVS *Oneirocritic. l.* V. *c.* XCII. EVNAPIVS *in Vita Aedeſii.* MICHAEL GLYCA *Annal. part.* IV. Hinc nugae illae apud SVETONIVM de duobus Alexandrinis, quorum alter luminibus erat orbatus, alter debilis crure, a Serapide per ſomnum monitis, edoctiſque de remediis a Veſpaſiano petendis. *In Veſpas. cap.* VII.

2 STRABO *lib.* XIV.

3 HERODIANVS *lib.* IV. *cap.* VIII.

4 APVLEIVS *de Deo Socratis.*

5 SVIDAS *in v.* Δομνῖνος.

illi apparens, medicinam, indicavit qua cito, & ſine negotio Mneſicles curaretur. Quare Pericles aeneum Minervae Medicae ſimulacrum in arce dicavit, poſuitque juxta aram illius [1]. Remedium autem ſcribit PLINIVS, fuiſſe *Perdicium*, quod CELSO *herba muralis* dicitur [2], quodque deinde ob integram, caſtamque Minervae παρθενίης, καὶ ἀπειροτόκου naturam *Parthenium* appellatum eſt. PLINII etiam teſtimonium intererit recitare. *Verna Charus Pericli Athenienſium Principi, quum is in arce templum aedificaret, repſiſſetque ſuper altitudinem faſtigii, & inde cecidiſſet hac herba dicitur ſanatus, monſtrata Pericli in ſomnio a Dea. Quare Parthenium vocari coepta eſt, aſſignaturque ei Deae* [3]. Hujus herbae proprietates, vimque medendi idem auctor ſic deſcribit: *folio ſimilis Ocimo, nigrior tantum, naſcens in tegulis, parietiniſque . . . . ulcera, rupta, lapſuſque, & praecipitia medetur* [4]. Quibus rebus intellectis diſtingui apprime poterit, ad quodnam herbae genus digitum revera hoc loco intenderit PLINIVS; non enim una tantummodo *Parthenii* nomine donabatur. Et primo Παρθένιον fuit DIOSCORIDI Anazarbeo [5] ſtirpis forma, odore, guſtu, virtuteque Cotulae, ſive *Matricariae* ſimilis. Sed ea nequaquam fuit a Dea Pericli monſtrata, quippe quae nullum Mneſiclis incommodo levamen ſuapte natura poſſet afferre. Rurſus eſt ſtirpis genus, quod DIOSCORIDES Ἑλξίνην appellavit [6], GALENVS Σιδηρῖτιν [7], cui, inquam, poſt hoc Minervae oſtentum *Parthenii* nomen adhaeſit. Poſterior aetas, CELSI denominatione neglecta, *Parietariam* communiter nuncupavit; omneſque illius proprietates diligenter, diſtincteque perſecuti ſunt Botanicorum ſcriptores MATHIO-

1 *In Pericle.*
2 *lib.* II. *cap.* XXXIII.
3 *H. N. lib.* XXII. *cap.* XX.
4 *Ibidem.*
5 *lib.* III. *cap.* CXLIX.
6 *lib.* IV. *cap.* LXXXVI.
7 *De fac. ſimpl. Medicam. lib.* VI.

LIVS [1], CLVSIVS [2], RVELIVS [3], TVRNEFORTIVS [4], RAIVS [5], MENTZELIVS [6]. Haec autem procul dubio fuit *Parthenium* in ſomnio indicatum; namque velut ſalutare, & praeſentiſſimum remedium luxationibus ſanandis creditur ab omnibus rei herbariae peritis: quare in metricis praeſcriptionibus vel ipſis medicorum filiis cognitiſſimis de *Parietaria* legere eſt:

. . . . ulcera contra
Et rupta, ac lapſus, aut alto praecipitatos
Haec valet . . . .

Nihil vero Pericli ſic erat ſub manu, quam monſtratum ſibi a Minerva medicamentum reperire, deſperatoque Mneſicli opem ferre, quandoquidem Parthenium iſtud περὶ τὴν ἀκρόπολιν φυόμενον, *circa arcem naſcebatur* [7]. Ex eo autem ἔμπλαστρον fuiſſe confectum, & rupturae, vulnerique applicatum, ut aegritudinem depelleret, non ambigo; ſic enim a medicamentariis ſolet praeparari. Interim illud animadverti volo, quam imperfecta, & manca eſſet Periclis aetate ars ſalutaris, quandoquidem Minervae monitu fuit opus, ut obvium, tritumque remedium inveniretur: vel potius, quam ridenda, commenticia, fraudulentaque fuerint mirifica illa, quibus ſuperſtitio tantopere alebatur. His ita expoſitis jam multo erit proclivior, atque evidentior votivae noſtrae Tabulae interpretatio, ad quam propius accedo.

§. II.

1 *Ad Dioſcoridem libr.* III. *l. c.*
2 *Hiſtoria Plantarum lib.* III. *cap.* XXXV.
3 *De Natura Stirpium* lib. III. cap. CXIV.
4 *Inſtitutiones Rei Herbariae Tom.* III.
5 *Hiſtor. Plantar.*
6 *Lexicon Plantarum h. v.*
7 PLVTARCHVS *in Sylla*.

§. II.

PARS POSTERIOR ΚΑΤΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ.

TOTUM, quod hactenus de *Minerva Medica* ab antiquis ſcriptoribus perhiberi animadvertimus, oculis ipſis ſpectare licebit in noſtro anaglypho graphice, ſciteque expreſſum. Incommodam ſane valetudinem e veſtigio oſtendunt tres homines in Medicinae auctricem converſi, inque eam animo defixi, languido inceſſu gradientes, delaſſati, macilenti. Quid vero Dea ipſa, dum manus in illos propitia tendit, votiſque arridere videtur, inibi peragere dicenda erit, niſi morbis curationem adhibere? Non quod ſuperum ſedibus delapſa id revera praeſtiterit, ſed ita a ſculptore res omnis fuit adumbrata, ut quam inſignem numinis illius effectum, qui morbo erant impliciti, experirentur, ex hac omni affiguratione vividius deprehendetur. Et ſane in eo, qui Minervae jam ſubiit conſpectum, nonne hominem κεφαλαίᾳ laborantem licet intueri, cujus capiti Hygia remedium admovet? Morbi ſedem, ſi ſapio, in calvaria, ſive in occipite eſſe, palam fit, ex acuto galericulo, atque taeniis deſuper vagantibus, quibus videtur pannus, vel faſciolam capiti aptata, colligataque fuiſſe, ſive ad aëris impetum prohibendum, ſive ad aliquod epiplaſma, aut aliud medicamen retinendum. In tanta autem morborum cephalicorum varietate, quo nam potiſſimum primus ille aeger teneretur, ex marmoris delineatione liquere minime poteſt. Sed quod nam fuit incommodum, cui non obſtitiſſe ſalutarem Deam Ethnici perſuaſum haberent, quandoquidem eo uſque dementiae proceſſerant, ut puellae decapillatae comam divinitus reſtituiſſe aut crederent, aut certe venditarent? Sic enim alter Placentinus lapis [1].

1 GRUTER. MLXVII. 4.

MINERVAE . MEMORI
TVLLIA . SVPERIANA
RESTITVTIONE
FACTA . SIBI . CAPILLORVM.

Profecto niſi temporis longinquitas, atque edacitas anaglyphi elegantiam aliquantum deturpaſſet, nitoremque minuiſſet, dilucide, vereque perſpici poſſet, quidnam Hygia Minerva dextera manu oſtentet, indeque probabilius de illius actione aeſtimare. At inibi eroſa ſuperficies, evanidi, fugienteſque ductus, rimae, labeſque rem prorſus ambiguam faciunt. Video tamen in hac caligine, ambiguitateque duas ſuppetere conjecturas. Si artifex ſtatutum in animo, ac deliberatum habuit, ut aliquod herbae genus effingeret, illius enim ſpecies adhuc ſublucet; tum nullus haeſitans affirmaverim *Parthenium* Deae dilectum, ab eaque medicinae faciendae, integritatique membrorum reſtituendae demonſtratum ibi repraeſentari: Parthenii quippe folium apud memoratos jam Botanicos eadem forma donatur. Si vero aliud pharmacum, compoſitumque πιρίαμμα eo emblemate deſignari velimus, ſtatim memoriae ſuccurrit antidoti genus, quod antiquis Medicis, ipſique GALENO σωτεῖρα Ἀθηνᾶ dicitur [1]: ducto ſine dubitatione hujus remedii nomine ex aliquo Minervae oſtento. Atqui utrique conjecturae locus poteſt eſſe. Nam ſi caeteris Diis ea ſimbola ab artificibus apponi conſuevere, quae ipſorum inventa poſteris declararent; quid Hygiae Minervae poterat convenientius attribui, quam alicujus medicamenti ſpecies, & imago? Exinde enim inter diverſas artes, diſciplinaſque, quas illa traditur reperiſſe, cui nam in hoc anaglypho vacare fingatur, commodiſſime deducitur. Caeterum quum inter Aeſculapium, atque Minervam tantam, & tam intimam conjunctionem, & affinitatem agnoſcerent Athenienſes, communi ſuper ara utriſque litarent, pariaque officia

1 *De Medic. gen. lib. v.*

officia illis tribuerent, quid ni a Minerva eaſdem praeſtolarentur curationes, quae Aeſculapii providentia, atque numine patrari dicebantur? Eſt in anthologia ex Codice Lipſienſi a viro Graece doctiſſimo REISKIO vulgata tetraſtichon AESCHINIS Rhetoris, quo neſcio quis, Aeſculapio bene juvante, diuturna, ac moleſtiſſima **κεφαλαίᾳ** liberatus perhibetur.

Θνητῶν μὲν τέχναις ἀπορούμενος εἰς δὲ τὸ θεῖον
Ελπίδα πᾶσαν ἔχων, προλιπὼν ἔυπαιδας Ἀθήνας,
Ἰάθην ἐλθὼν, Ασκλήπιε, πρὸς τὸ σὸν ἄλσος,
Ἕλκος ἔχων κεφαλῆς ἐνιαύσιον, ἐν τρισὶ μησὶ.

Deſperatis hominum arteque, vique, rejecta in Deum ſpe, fiduciaque omni mea, exceſſi Athenis pulchrorum Civium matre, tuumque ad lucum delatus, Aeſculapi, ſanatus fui tribus menſibus ab ulcere capitis, quod per annum alueram [1]. At noſtro **κεφαλαλγεῖ** haud opus fuit, Lucum ſacrum quaerere, urbeque excedere, ut ſanaretur. Decebat namque Minervam in oculis Athenarum, quas incolere, ſoſpitare, omnique beneficentiae genere fortunare credebatur, haec prodigia edere, has curationes efficere.

Qui **κεφαλαλγέα** inſequitur, mediumque tenet locum, hominem luminibus orbatum referre, duo maxime oſtendunt. Nam ne dum baculus ei datus eſt ad viam pertentandam,

---

1 *Anthologiae Graecae libri* III. *Carmina dedicatoria. Epigram.* 539. Dubium eſt ipſi eruditiſſimo REISCHIO num ille Rhetor AESCHINES, cui hoc epigramma in Codice tribuitur, fuerit celebris ille DEMOSTHENIS adverſarius, an vero alter STRABONI aequalis. Lucus Aeſculapio ſacer, quem hic aeger valetudinis recuperandae cauſſa adiiſſe perhibetur, procul Athenis poſitus fuiſſe videtur; ab ea enim urbe migraſſe dicitur; quod perinde accipiendum, ac ſi peregrinationem ſuſcepiſſe traderetur: προλιπὼν Ἀθήνας. Fuit autem Epidauri nemus, quo aegri concurrebant, ibique vota Deo nuncupabant, ut convaleſcerent. Illuc forte loci religione adductus, ac mirabilium curationum, quae ibidem ab Aeſculapio patrari narrabantur, fama illectus homo Athenenſis conceſſit.

dam, ſed erecta cervice exſculptus cernitur, plane ad caecorum morem modumque, qui quodam naturae impulſu, ductuque faciem coelo perpetim obvertunt, quaſi aliquam diei, luciſque uſuram aucupaturi [1]. Caecus itaque oculorum ſenſum ſibi a Minerva reſtitutum heic oſtendit. Quae hiſtoria commenticias id genus curationes non prodidit? Quis veterum ſcriptorum non loquitur quemadmodum in viſis, ſomniis, monſtris, portentis tota deliraverit antiquïtas? Nam, ut caetera omittam, apud SVETONIVM ſcriptum in hiſtoria eſt, caeco cuidam e plebe a Serapide per quietem monſtratum, videndi facultatem recuperaturum fore, ſi Veſpaſianus Imp. in oculos inſpuiſſet [2]. Ejuſdem generis etiam illud eſt, quod ſcribit SPARTIANVS, tempore Hadriani mulierem caecam in ſomnio monitam fuiſſe, ut Imperatoris genua oſcularetur; quo remedio viſum recepit [3]. Adjungamus hiſtoricis ſcriptas, votivaſque tabulas Antonino imperante Romae in Aeſculapii templo poſitas, in quibus memoriae mandatum legitur, duobus viris Cajo, & Valerio Apro obcaecatis oraculum redditum fuiſſe, quo moniti, edoctique feliciter convaluerunt [4]. Jam vero etſi hujuſmodi prodigia Ethnici ipſi, qui doctrina, ſolertiaque ingeniorum valuerunt, merito deriſui habuerint, atque deliciae, & amores noſtri M. CICERO graviſſima oratione oſtenderit, nullam vim eſſe divinam effectricem ſomniorum, nullaque viſa ſecundum quietem proficiſci a numine Deorum; indeque rectiſſime concluſerit: *Quid igitur convenit aegros a conjectore ſomniorum potius, quam a medico petere medicinam? An Aeſculapius, an Serapis poteſt nobis praeſcribere per ſomnium curatio-*

1 Notiſſimum in caecis φαινόμενον, quod varie a phyſicis explicatur.

2 *In Veſpaſian.*

3 *In Vita Hadriani.*

4 Tabulae quatuor, quibus portenta haec deſcripta fuerant, proſtabant apud MAPHAEOS duobus prope ab hinc ſaeculis, eaſque edidit HIERONYMVS MERCVRIALIS *de Arte Gymnaſtica lib.* I. *cap.* I. De his iterum infra erit ſermo.

rationem valetudinis [1] ? Nihilominus qui his fidem habebant, avitam, communemque ſuperſtitionem ſequebantur, dum a Minerva ſibi viſum reſtitui poſcebant. Illam quippe ab oculis Diomedis caliginem pepuliſſe, ideoque Ὀξυδερκὴν fuiſſe dictam, ſcriptum apud PAVSANIAM [2] eſt. Sed multo celebrior adhuc manebat harum curationum memoria ex Minervae Ὀφθαλμίτιδος aede, quae a Lycurgo ferebatur Deae dedicata ob praeclarum circa ſe numinis illius effectum. ἐκκοπέντα δὲ τῶν ὀφθαλμῶν τὸν ἕτερον ὑπὸ Ἀλκάνδρου, διότι οὓς ἔθηκε νόμους, οὐκ ἀρέστους συνέβαινεν εἶναι τῷ Ἀλκάνδρῳ. διαφυγὼν δὲ ἐς τοῦτο τὸ χωρίον Λακεδαιμονίων ἀμυνάντων μὴ προσαπολεῖσθαί οἱ καὶ τὸν λειπόμενον ὀφθαλμὸν οὕτω ναὸν Ὀφθαλμίτιδος Ἀθηνᾶς ἐποίησε. *Nam quum alterum ei oculum excuſiſſet Alcander, cui a Lycurgo latae leges minime placebant, in hunc vicum* (Apium) *confugit, ubi a concurſu Lacedaemoniorum ſervatus, quominus alterum oculum perderet, Alcandri malevolentia, Ophthalmitidis Minervae templum fecit* [3]. Si haec in Laconicis a Minerva praeſtita ſunt, non eſt dubitandum, majorem adhuc illius indulgentiam eſſe expertos Athenienſes, qui quum tutelae ipſius eſſent commendati, ſibi in quavis calamitate opitulari debere putabant.

Aegrorum numerum claudit homo, cui videtur laevum brachium riguiſſe, illud enim Deae oſtendit aridum, exſuccum, iners, aut forſan arthritide correptum; poſtulans procul dubio integritatem, vigorem, motum ſibi reſtitui. Atque ita plura morborum genera Minervae Hygiae beneficio depulſa intelligimus. Manſit autem conſuetudo, ut qui redintegratas ſibi vires, optimamque valetudinem Superis ſedebere profitebantur, donaria illis offerrent, quae eſſent non modo grati animi ſed etiam adeptae ſanitatis indicia. Et quamvis ſaepe nihil cum cauſſa, ob quam devovebantur, commune haberent; velut illa, quae teſte LAERTIO ſacrari in teſtamento mandavit Ari-

1 *De Divinatione lib.* II. *cap.* .
2 *Corinthiaca* ſive *lib.* II. *cap.* XXIV.
3 *Laconic.* ſeu *lib.* III. *cap.* XVIII.

Ariſtoteles: *ἀναθεῖναι δὲ καὶ Νικάνορα σωθέντα τὴν εὐχὴν ὑπὲρ αὐτοῦ ηὐξάμην, ζῶα λίθινα πετραπήχη Διῒ σωτῆρι, καὶ Ἀθηνᾷ σωτείρᾳ ἐν Σταγείρῃ., dedicet pro ſervato Nicanore, quod pro illo vovimus, votum animalia lapidea cubitorum quatuor, Jovi Servatori, & Minervae Servatrici Stagiris* [1]; alii tamen praeclarius devotae mentis argumentum, Diiſque multo acceptius futurum arbitrati ſunt, ſi hiſce anathematis in omnium oculis defigeretur, quo quis anfractu, periculove Deorum ope evaſiſſet. Quare aliquam morbi ſpeciem, monſtratamque coelitus curationem tabulis ligneis a pictoribus reddi, coloribuſque induci curabant. Quod etſi his praeſertim uſitatum fuerit, qui maris iram effugerant, impendenſque naufragium devitaverant, ut ex CICERONE [2], HORATIO [3], JVVENALI [4], PERSIO [5] colligitur; quis eat inficias, alios quoque magno aliquo diſcrimine ereptos id ipſum factitaſſe? De Mario narrat PLVTARCHVS, quum ad Marciae lucum ex hoſtium manibus evadendi ſors inſperata affulſiſſet: *πίνακα τῶν πράξεων ἐκείνων γραψάμενος ἀνέθηκεν εἰς τὸ ἱερόν, imaginem talium rerum pingi fecit, & in templo dedicavit* [6].

His donariis, votiſque fingendis praeter pictores multam operam plaſtae contulerunt; namque ex illorum officinis prodiere icunculae argillaceae, & ſigna lateritia, quorum forma, atque uſus a me ſuperius tactus eſt [7]. Multa id genus fictilia ſigilla in fanis, ubi dona figi ſolebant, ab his, qui Diis juvantibus convaluerant, olim appenſa, dixi in MVSEO NANIO adſervari: placuit nonnulla ſeligere, contuendaque hoc loco exhibere; quae vota Diis Salutaribus exhibita repraeſentant, & quantum huic religioni tribueretur, comprobant. Niſi forte aliquot ex eorum numero ſint, quae, uti diximus [8], in Feſto *Sigillariorum* miſſitabantur.

Quod

1 *In Vita Ariſtotelis.*
2 *De Nat. Deor. lib.* III.
3 *De Art. Poet. v.* 20.
4 *Satyr.* XIII.
5 *Satyr.* I.
6 *In Mario.*
7 *Part.* III. *pag.* 41.
8 *Ibidem.*

1



Fictile
Ex Dalmatia 1757

2



Fictile.
Ex Dalmatia 1757.

3




Fictile.
Ex Dalmatia 1757

4



E Fictili triplo majori,
E Corcyra 1758.

5



E Fictili duplo majori,
E Dalmatia 1758.

6



Fictile
E Lissa Dalm 1758.

Fictile.

7



E Dalmatia 1757.

. Quod ſi ſuperſtitioſi illi homines morbis , aliiſve malis liberati *πίνακας* , imagineſque *ὀςρακίνας* totius rei indices dedicabant , cur non magnificentius , ſi facultates ſuppeterent, id aliquando efficerent , marmoreis oblatis anaglyphis ? Nec mirabile videri debet , Athenis praeſertim id uſuveniſſe , ubi omnia , quae religioni honeſtandae , & Minervae praeſertim colendae deſtinabantur , ad inſignem pompam, aeternitatemque erant comparata . Venio ad inſcriptionem , vel potius inſcriptionis lacinias , ut ſi quid certi , aut probabilis ex his erui queat , periclitando inveniam .

Nonnulla in anaglyphi coronide conſpiciuntur verba continenti ſcriptura ad hunc modum exarata :

ΟΞΙΝΙΑΦΩΚΙΝΩΙΚΑΙΝΙΚΑΝΔΡΩΙΚΑΙΔΕΞΙΙ . . . .

Haec autem ſi apte diſtinguantur , atque interpungantur , quatuor nomina exſculpi commode poſſunt . Primum quidem feminini generis , rectique caſus , ſi me audis , Minervae Hygiae Sacrificulam indigitat , quae in illius aede ſacris vacabat , oracula fortaſſe reddebat , & ſomnia , oſtentaque interpretabatur . Tria vero , quae conſequuntur , tres aegrotos a Minerva ſanatos , quis abnuat demonſtrare ? Quorum poſtremum ΔΕΞΙΙ . . . . licet coronide paullulum diffracta luxatum , mutilumque ſit , tribus tamen additis litteris , quibus excipiendis ſatis relinquitur ſpatii , aptiſſime expleri poteſt : ΔΕΞΙ*ππῳ* . Itaque totus integer verſus ſic reddi , ac diſtingui debet :

Ὀξίνια Φωκίνῳ , καὶ Νικάνδρῳ , καὶ Δεξίππῳ ,

In quo tamen video tot mihi praetendi ambages , tantas undique fundi obſcuritates , quae omnes exigui ingenii noſtri conatus eludant . Namque marmor non hominibus profecto, ſed Soſpitae Deae dicatum eſſe debuit . Quid ergo praeſtitit Oxinia tribus hominibus , quorum nomina in dandi caſu efferuntur ? Quo nam verbo coagmentari pro Graecae linguae

ratione tota oratio debet? Plana, ut arbitror, facilisque ſuccurrebat inſcriptionis interpretatio ex caeteris illius vocibus inferius deſcriptis, quae veroſimiliter cum ſuperioribus jugi ſenſus contextura copulabantur. Sed ita injuria temporum eroſae illae ſunt, totque intercipiuntur lacunis, ut nec conjector, nec augur, nec denique hariolus ex incertis his vocum fragmentis, ex litteris, notiſque hac illac diſſipatis, ſaepe etiam evanidis, & magna parte vitiatis potis ſit certum aliquem ſenſum elicere. Quare ſpe omni dejectus, rem adeo implicatam, & mancam in medio relinquam: fruſtra enim conſumitur labor, mentiſque acies incaſſum intenditur, ubi ſic ſpiſſae incubant tenebrae, quas

Non radii ſolis neque lucida tela diei
Diſſipent, nec naturae ſpecies, ratioque.

Vnum caeteroquin, antequam ſuſceptae tractationi poſtremam manum imponam, animadvertere juverit. Solebant qui ejuſmodi votivas tabulas in fanis adeptae ſanitatis cauſſa ponebant, morbos in illis enarrare, quibus adflicti, vexatique fuerant, tum etiam θεραπείας, remediaque coelitus, & per quietem monſtrata, quibus morbi eſſent expugnati. Expreſſe, diſerteque id traditum eſt a STRABONE, praeſertim quum celeberrimum illud Dei Epidaurii delubrum deſcriberet [1], itemque quum de Serapidis oraculo ageret [2]. Quod tamen luculentius, ac ſine moleſtia, quam ſaepenumero afferunt coacervata teſtimonia, conficitur inſpectis tabellis, Romae ad Aeſculapii aedem adinventis, quarum paullo ante meminimus. Ex quibus unam ſaltim (eodem enim recidunt omnes) operae pretium erit exſcripſiſſe, ex his quippe de noſtra Athenienſi conjecturam aliquam facere licebit. *Λουκίῳ πλευριτικῷ καὶ ἀπηλπισμένῳ ὑπὸ παντὸς ἀνθρώπου ἐχρημάτισεν ὁ θεὸς ἐλθεῖν, καὶ ἐκ τοῦ τριβώμου ἆραι τέφραν, καὶ*

1 *lib.* VIII.
2 *lib.* XVII.

καὶ μετ᾽ οἴνυ ἀναφυρᾶσαι καὶ ἐπιθεῖναι ἐπὶ τὸ πλευρὸν, καὶ ἐσώθη, καὶ δημοσίᾳ ηὐχαρίστησε τῷ θεῷ, καὶ ὁ δῆμος συνεχαρείσατο. *Lucio affecto lateris dolore, & deſperato a cunctis hominibus oraculum reddidit Deus, veniret, & ex ara tolleret cinerem, & una cum vino commiſceret, & poneret ſupra latus: & convaluit, & publice gratias egit Deo; & populus congratulatus eſt illi* [1]. Itaque, ut quod prooemio a paribus exemplis petito moliebar, hic concludam; prolixa ſatis inſcriptione Minervae Medicae, aegrorumque imaginibus ſuppoſita, quid veroſimilius potuit contineri, quam *Phocini*, *Nicandri*, & *Dexippi* curatio? Quid cum vetuſtis Graecorum inſtitutis, quid cum ipſa marmoris affiguratione convenientius? Quod multo mihi fit probabilius, quoties in quarto epigrammatis verſu, atque in tam perturbato vagantium notarum numero *Nicandri* nomen ... **ΝΙΚΑΝΔΡΟ** .... adhuc ſublucere conſidero. Non enim inibi recurreret, niſi aliquid circa ipſum a Dea geſtum fuiſſet deſcribendum. Porro ſi de tribus hiſce aegrotis ex ſuperioris inſcriptionis ſerie aeſtimandum eſt, ita ut ſibi invicem reſpondeant nomina, & figurae nominibus ſubjectae; illud etiam exiſteret, eum qui arthritide laborabat, *Phocinum* fuiſſe; qui oculis erat captus, *Nicandrum*; qui denique cephalaea conflictabatur, *Dexippum*. Sed qua ratione illis Minerva auxiliata ſit, Deus aliquis viderit: quid enim obſcurae penitus, deſpertataeque rei inqui-

1 Apud MERCVRIALEM *l. c.*

2 Illud tamen in tranſcurſu obſervare juverit, quod STRABO *lib.* XV. & PLINIVS *lib.* XXVI. *cap.* I. de Hippocrate ex aliorum ſententia retulerunt. Scilicet hunc medentum principem, vereque Archiatrum ex hujuſmodi votivis tabellis, in quibus unuſquiſque quo remedio convaluiſſet, deſcribebat, omnem artem ſalutarem hauſiſſe, indeque praecepta medica collegiſſe. Sed liquet jam vulgare hoc commentum, inquit LVCAS TOZZI *in Praefat. ad Aphoriſmos Hippocratis*, malignitate redundare, & ad invidiam Hippocrati conflandam fuiſſe excogitatum. Namque, ut ab HERMANNO CONRINGIO *de Hermet. Medicina cap.* XI. demonſtratum eſt, remedia illa, quae aegrotis in fanis Deorum incubantibus revelata fuiſſe dicebant ut,obvias,ſimpliceſque quaſdam curationes continebant; contra vero in Hippocratis praeceptionibus ſummum ingenium, maximum optimarum artium ſtudium, diuturnaque experientia elucet.

quirendo, nitendoque longiorem operam impendam [3]? Haec habui dicere de Anaglypho *Minervae Hygiae* ſacro, in cujus enarratione neceſſe fuit hujus Deae oſtenta, prodigia, patrataſque ab illa divinitus ſanationes ex veterum ſcriptorum fide recenſere; Verum.

Nec quodcumque volet poſcat ſibi fabula credi.

Tantum abeſt, ut iſthaec, aliaque id genus plurima, quorum conferti ſunt Graecorum imprimis libri, pro veris, & genuinis portentis habeamus, quod imo ad unum omnia ſive ad ſacerdotum fraudes, doloſque malos ἐκϛατικῶν, & ἐγγαϛριμύθων, ſive ad fortuita eventa, ſive ad naturales effectus, ſive ad Daemonis praeſtigias amandemus [1]. Quid enim erant oracula illa, quae a Diis reddi perhibebantur, niſi verſuta reſponſa, quibus θεομάντεις incautae plebi imponebant? Quid morborum curationes, quae dicebantur divinitus monſtratae, niſi remedia quaedam ex ſcientiae naturalis principiis petita, quae nihil ſupra naturae vires efficiebant, ſaepe etiam morbis tollendis ἀνεπιτήδεια erant? Quid viſa ab aegrotis per induſtriam in ſomno captata, niſi rerum ſpecies, ac delirationes quas veterator ille nequiſſimus ἀλάϛωρ hominibus ſuperſtitione obligatis inſtillabat, immit-

1 Ita plane de antiquorum oraculis ſive a Cacodaemone ad fallendum, ſive a Sacrificulis ad quaeſtum redditis, atque etiam de quibuſvis portentoſis effectis, miraculiſque Aeſculapio, Serapidi, Minervae, Pythagorae, Tuciae, Veſpaſiano, Apulejo, Apollonioque Thianaeo potiſſimum tributis exiſtimandum eſſe, dilucide, invicteque demonſtrarunt prae caeteris HVETIVS *Demonſtr. Evangel. Prop.* IX. *cap.* CLXXI. §. 20. VANDALAEVS *de Oraculis cap.* XVI. MOSHEMIVS *ad Syſtema Intellectuale* CVDWORTII *c.* IV. *Not.* 18. HVTTEVILLIVS *Traitè de la Religion tom.* III. *chapitre* XVIII. & qui eximiis ſuis libris praeclarum apud doctos nomen hac tempeſtate conſequutus eſt, LIBERATVS FASSONI *de Miraculis adverſus Benedictum Spinozam Diſſert. Theologic.* Ad quos libenter ablegamus, ne plura huc aggregantes a via exorbitare, atque ab inſtituto abſcedere videamur.

immittebatque [1] . Ex quibus certum illud relinquitur, ea omnia, quae in votivis Deorum tabellis, tamquam inexpectata prodigia deſcripta reperiuntur, falſa, mentitaque plerumque fuiſſe, numquam vero uſitatas naturae mechanicas leges exceſſiſſe; proindeque haud poſſe referri in cenſum miraculorum; quae a ſolo Deo Optimo Maximo veritati, ſanctiſſimaeque religioni teſtificandae, non a malis Geniis errori, mendacioque conſtabiliendo effici queunt.

---

1 Ejuſmodi ſunt ea, quae ARISTIDES narrat in tribus prioribus *Sermonibus Sacris*. Quis riſum teneat relegens inficeta illa, inſana, ſecumque pugnantia phantaſmata, quae ſibi tamquam a Diis immiſſa Sophiſta depraedicat? vel ineptiſſima pharmaca ſibi in ſomniis monſtrata, quibus ex ſtomachi dolore, ulcere, tumore, catarrhis, tentigine affirmat ſe convaluiſſe? Quot verba, totidem ſuperſtitioſa deliramenta.

EXPLICIT PARS TERTIA.



R. r. Athenis 1760 alt. pal. R. 1. 8.



EX Athenis 1760 Alt pal R. 2

ΣΥΜΜΙΚΤΑ
NECROLOGICA



ΣΥΜΜΙΚΤΑ
NECROLOGICA



MNES una manet nox, & calcanda ſemel via lethi [1]. At fuit inſitum priſcarum gentium pene omnium animis, exceſſu vitae minime deleri hominem, ut funditus interiret, verum mortem eſſe quamdam quaſi migrationem, commutationemque vitae, quam immortalitas conſequatur. Idque cum multis aliis rebus intelligi licet, tum, ut ſapienter obſervat CICERO [2], ex religione ſepulcrorum, quam nec tanta cura

1 HORATIVS *Carminum lib.* 1. *Od.* XXVIII.
2 *Tuſcul. Diſp.* 1.

coluiſſent, nec violata tam inexpiabili ſcelere [1] ſanxiſſent, niſi haeſiſſet in eorum mentibus, animas poſt mortem remanere. Quid revera portendunt diligens funeris curatio, lugubris ploratus [2], moeſtaeque apprecationes [3]; quid lampades in ſepulcra inlatae, & ſumma quandoque arte paratae, ut diutiſſime lucerent [4]; quid ipſa ſepulcra myrto, apio,

1 De Sepulcri violatione fuſe diſputatum a nobis eſt. *Parte II. §. V.*

2 Nihil dicam de mulieribus, ſeu *Praeficis* mercede conductis ad mortuum lamentandum; quae enim de illis a veteribus ſunt tradita, jamdiu expendit *ὁ μακαρίτης* HIERONYMVS BARVFFALDVS *de Praeficis &c.* Nonnulla etiam collegit AVBERTVS *Diſſertat. ſur les Pleureuſes de l'antiquité. Nouveau Recueil des Pieces Fugitives tom. IV. art. V.* Intererit potius hoc loco popularem opinionem, quae increbuit, atque inveteravit, de lacrymis in funere profuſis paucis refutare. Sic apud ſe ipſos plerumque ſtatuerunt antiquitatis curioſi, ut vaſcula vitrea, vel argillacea collo oblongo, & ore patulo lacrymis ſtillatim colligendis deputata fuiſſe exiſtiment; atque adeo *phialas lacrymales*; vel *lagenulas lacrymatorias* illa appellent. Agmen propemodum duxit JOH. JACOBVS CHIFLETIVS, qui peculiarem edidit de ea re Diſſertationem: *Lacrymae priſco ritu fuſae &c.* In eamdem deinde ivere ſententiam GVTHERIVS, KIRCHMANNVS, KIPPINGIVS. Rem longius provexit BARVFFALDVS *pag.* 67. affirmans, lacrymas de phiala in phialam elutriari conſueviſſe, donec ſufficerent ad funus implendum: quaſi lege cauta fuiſſet quantitas lacrymarum fundendarum. Tandem huic leviſſimae opinioni conſtabiliendae, firmandaeque pondus addidit JOHANNES SMETHIVS, qui in *Antiquitatibus Neomagenſibus pag.* 116. *& ſequ.* narrat una cum Sarcophago effoſſas fuiſſe vitreas lagenulas, quarum una *humore ſalſuginoſo* adhuc madebat, ex quo lacrymis in funere fuſis plenam exſtitiſſe, multis perſuaſit. Sed credulitate quadam, & ſine auctore, ſine teſte eam percrebuiſſe opinionem demonſtravit SCHOEFLINVS *de Apotheoſi Impp. Rom. cap.* III. Equidem funus cum magna lacrymatione ducebatur; mulieres ad flendum acciebantur; oſſa, cineresque lacrymis irrigabantur; ſed ubi nam apud veteres vel minima de phialis, urceolis, vaſculiſque occurrit mentio? Nec quidquam juvat formula illa *lacrymas ponere*; niſi enim vim inferas verbis, numquam *poſitionem lacrymarum* in vaſculis ſignificabit. Igitur phialae, quae vulgo *Lacrymatoriae* audiunt, continuere ſine dubio balſama, & liquores, quibus antiqui oſſa delibuere, & condire ſolebant; quoniamque ſepulturae perficiendae deſerviebant, ſepulcro condebantur.

3 Dabunt epigrammata mox producenda.

4 Altera heic mihi obiter convellenda eſt praejudicata opinio, quae multis

apio , floribuſque coronata , atque conſparſa ; quid deni-

que

---

multis fucum fecit , eoſque in errorem abduxit . Scilicet extitiſſe ſepulcrales *Lucernas inextinguibiles* , & quod ajunt , *perpetuas* . Perſuaſum id fuit omnino ERMOL. BARBARO , FR. VIVES , LIBAVIO , ERICIO , LAZIO , MAIOLO , BVRGRAVIO , SENERTO , LICETO . Sed nullus profecto veterum ſcriptorum , qui ſuas res probe noverant , hoc genus lampades memoravit . Contra vero ſi in tumulis diutius illas arſiſſe contigit , factum id fuiſſe accepimus ex nova materiae affuſione , non perenni quadam vi ignem nutriente . Qua de re certa ſunt , & explorata teſtimonia , ut illud HERODOTI *in Euterpe* ſive *lib.* II. de Lucerna , quae in conclavi ſepulcrali Filiae Regis Mycerini perpetuo ſplendebat , materia quotidie ſub veſpere redintegrata . Ejus generis eſt PETRONII *in Satyrico cap.* CXI. narratio de ancilla , quae Epheſi in hypogaeo Matronae cujuſdam adſidebat ſepulcro , ut lumen renovaret . Huc etiam ſpectat MODESTINI locus *L. Maevia* 44. *Digeſt. de Manumiſſ. & teſtament.* de Maevia , quae ſervos in libertatem moriens aſſeruit , hac conditione , ut ad illius monumentum alternis menſibus lucernam accenderent . Igitur illud pro certo conſtituatur , lucernas aliquot mortuorum conditoriis adpoſitas diutius arſiſſe , quod ad flammam alendam nutrimentum jugiter ſufficeretur , uti de igne , quem Veſtales curabant , accidiſſe conſtat ; nullas vero materia ἀδιαφθάρτῳ , & luce quadam ſempiterna refulſiſſe . Provocant, non me fugit , qui luminis perpetuitatem tuentur , ad Jovis Ammonis lucernam , quam ἄσβεστον , *inextinguibilem* vocat PLVTARCHVS *de defect. Oracul.* AVGVSTINI etiam recitant verba , qui *de Civit. Dei lib.* XXI. *cap.* VI. perhibet in Veneris fano (quod Agyrii in Sicilia erat) lucernam arſiſſe , quam nulla tempeſtas , nulluſque imber extingueret . Sed mentita haec prodigia , quibus Jovis , Veneriſque Sacrificuli fraudem ignaro , rudique populo faciebant , repetenda ſunt ex artefacto ellychnio , quod lapide *Aſbeſtino* conſtabat , cujus proprium eſt , ut igne nequaquam abſumatur ; lampadi tamen certis exactis temporibus , oleum , vel ſebum, vel adipem affundi opus fuerat , ut novas conciperet flammas . Quemadmodum Athenis , narrante PAVSANIA *in Atticis cap.* XXVI. in Minervae templo lucerna , cui Callimachus funiculum *ex lino Carpaſio* aptaverat , lumen anno ſolido reddebat . Caeterum nihil id ad ſepulcrales lucernas , in quibus ne minimum umquam ellychnii fruſtum repertum fuit . Neque exquiſitiori doctrina eſt opus , ut oſtendam , quam imperite faciant , qui altero illudi ſe ſinunt argumento ; nempe ſepulcro vix reſerato flammulam nonnumquam foſſorum oculos perculiſſe , ut in Tulliolae , Ferentillae , & Olybii ſepulchris Romae , Viterbii , & prope Municipium Ateſte contigiſſe traditur . Porro ſi quid fidendum foſſorum , caementariorum , agricolarumque dictis , quorum relatu ea φαινόμενα nituntur , pernego flammulam , quam lenis,

pla-

que hoſtiae ferales [1], & libamina, & ſacrificia, *ὡραῖα, νεμέσια, νεκρικὰ θεοῖς μειλιχίοις*, ſeu *καταχθονίοις* oblata [2], niſi naturam ipſam de immortalitate tacitam judicare? Itaque

---

placiduſque aër in concamerationem vix admiſſus momento temporis exſtinxit, e lucernis exiliiſſe. Namque in hiſce hypogaeis, adytiſque partim ex pure, ſi forte male condita adſint cadavera, ſed praeſertim ex loci uligine, humoque impervia Soli facile gignuntur, avolantque vapores, & halitus pingues, viſcoſi, ſulphurei, ſalino-nitroſi, qui fortuito concurſu, mutuaque miſtione ignem concipiunt, ſed actutum dilabuntur, atque evaneſcunt. Evenit id ſaepenumero circa Cloacas, in caſtris poſt exitiales pugnas, in coemeteriis; unde terror hominibus aliquando injectus eſt, unde tot fabulae, atque etiam ſuperſtitiones in ruſticorum praeſertim animos illapſae. Et ne a propoſito digredi videar, memoriae prodidit JOSEPHVS *Antiquit. Judaic. lib.* XVI. *cap.* XI., quum juſſu Herodis Aſcalonitae ſepulcrum Davidis, & Salomonis foderetur, flammam eſſe excitatam; quod ſimiliter in aperitione conditorii PP. Bonifacii VIII. accidiſſe narrat ARGOLVS *ad Panv. de Lud. Circ. lib.* II. *cap.* II. Atqui nullae illic fuerant lucernae; igitur certiſſimum relinquitur, aliam exſtitiſſe harum flammarum effectricem cauſſam. Haec, quae a me ſatis preſſe diſputantur, uberrime tradiderunt, atque explicarunt JOACHIMVS FELLERVS *Diatribe de Lucernis antiquor. ſubterraneis*, DAN. GVIL. MOLLERVS *de perennibus Veter. Lucernis*, OCTAV. FERRARIVS *de Veter. Lucernis Sepulcralibus*, JOH. BAPT. VRSATVS *lettera ſulle antiche Lucerne*, RAYMVNDVS DE SANGRO *Diſſertation ſur une Lampe Antique trouvée a Munich par le Prince de S. Severe.*

1 Conſule praeſertim PASCHALIVM *de Coronis lib.* IV. *cap.* VI. *&* VII.

2 Sacrificia pro Manium expiatione, & requiete oblata, notiſſima ſunt, hiſque tradita libris, quos alias indicavi, *Part.* II. §. V. *pag.* 196. *Not.* I. quin hic a me fuſius explicentur. Vtique in *Inferiis* litatum Θεοῖς Καταχθονίοις, qui ob Mellis libamen ipſis oblatum, ut obſervat PORPHYRIVS *de antro Nympharum*, μειλίχιοι nuncupabantur. His oſſa, cineresque mortuorum erant commendati, idcirco duae ille compendiariae notae Θ., & K. ſepulcris, cinerariis, oſſuariis incidebantur. Carneolam anno mox ſuperiore a me emptam, in qua urceus funebris inter atras cupreſſus inſculptus, ac duabus his litteris diſtinctus viſitur, prima hujus *IV. Partis* pagina protuli, ut quoniam in ea Necrologica perſequor, vel ipſa ornamenta cum diſputationis materia congruerent. Eamque ob cauſſam in calce hujus prologi

Ora vides Hecates in tres vergentia partes.

Illius inquam Hecates tergeminae, quae Graecis poetis eadem ac Proſerpina ſaepe eſt, quae Tartara incolere, ſepulcris, funeribuſque praeeſſe credebatur, & cui placandae *Canis* imolabatur.

Itaque ſi nihil ego hactenus ſive in votivis marmoribus , ſive in Graecarum civitatum pſephiſmatis , rhethriſque , ſive in perhonorificis epigrammatis interpretandis protuli , quod cum Chriſtiani hominis inſtitutis conſentiat , ad ea tandem devenimus monumenta , ex quibus hunc pietatis fructum capere liceat , ut in illorum contemplatione recogitet animus , proſpiciatque , qualis futurus eſt , quum ſe corporis vinculis relaxarit ; ſibique gratuletur , quoniam mors meliorem , quam qui in vita eſt , ſtatum eſt nobis allatura . Vt autem in tanto epigrammatum ſepulcralium numero , quibus abundat inſigne Naniorvm Mvsevm , ea maxime deligerem , quae cum caeteris hujus libri partibus congruere videntur , miſſis Latinis omnibus , quae alii fortaſſe evulgabunt , Graeca tantummodo duxi a me in hoc opere proferri oportere . Equidem nonnulla ex his eſſe video , quae in Monumentis Peloponneſiis haud queunt vere , proprieque numerari . Sed partim ex circumpoſitis Peloponneſo regionibus fuerunt aſportata , ut nihil a ſuſcepta ſcribendi ratione alienum fecerim , ſi illa cum Peloponneſiacis conſociaverim : partim cum his , quae Peloponneſia tellus ſuppeditavit , ſic conſpirant, ut eiſdem explicandis maximo ſint adjumento . Quare minime dubitavi rem antiquitatis ſtudioſis pergratam , atque perutilem me facturum , ſi ſepulcralia epigrammata Graece loquentia alia aliis adnecterem . Quia vero diverſo illa ſunt genere , variaque forma , juverit in certas quaſi claſſes apta diſtributione partiri . Exordior proinde a **ΝΕΚΡΟΚΟΡΚΥΡΑΙΟΙΣ** , quo me primum vocant tres breviuſculi tituli, in prioris paginae fronte , ornatus ergo appoſiti .

ΕΠΙΚΤΕ ΣΙ ΧΑΙΡΕ *Epicteſi* *Vale*	**ΚΛΕΟ ΞΕ ΝΑ** *Cleoxena*	**ΑΡΤΕΜ ΟΚΛΕΑ ΧΑΙΡΕ** *Artemoclea* *Vale*

Quum hoſce illos lateritios cuneos , quibus haec nomina graphio inciſa leguntur, intueor, atque recordor Corcyrae una cum

cum figulina ſupellectili fuiſſe eruderatos, ſtatim in mentem redit, quod Corinthi accidiſſe, perhibet STRABO. Miſſa illuc a Caeſare, civitati inſtaurandae cauſſa, Libertinorum Colonia, ſimul atque opus moliri, rudera ſollicitare, & ſepulcra refodere coeperunt; εὕρισκον ὀςρακίνων τορευμάτων πλήθη . . . θαυμάζοντες δὲ τὴν κατασκευὴν, οὐδένα τάφον ἀσκευώρητον εἴασαν, *fictilia opera complurima invenerunt . . . artificiumque mirati nullum ſepulchrum dimiſerunt indiſcuſſum*. Magna harum copia potiti, iiſque magno pretio divenditis, νεκροκορινθίων ἐπλήρωσαν τὴν ῥώμην. οὕτω γὰρ ἐκάλουν τὰ ἐκ τῶν τάφων ληφθέντα, καὶ μάλιςα ὀςρακίνα, *Romam impleverunt Necrocorinthiis; ſic enim appellabant, quae ex ſepulchris effodiebant, preſertim opera teſtacea* [1]. Hunc tantum operum lateritiorum, atque coctilium in ſepulchris extruendis, ornandiſque uſum, Corinthiis perfamiliarem, credibile admodum fit, Corinthios ipſos ab antiquo Corcyram adventu ſuo invexiſſe; namque ſcriptum a THVCYDIDE in hiſtoria eſt: Κερκοραῖοι, Κορίνθιοι σαφῶς, *Corcyraei indubitate ſunt* (origine) *Corinthii* [2]. Quamquam non inſolens certe fuit teſtacea eſſe mortuorum conditoria, ut ex PLINIO intelligitur: *Quin & defunctos ſe ſe multi fictilibus ſoliis condi maluerunt* [3]. Quo loco miror omnigenae eruditionis hominem SCOEPFLINVM [4], contra optimorum codicum fidem, & PHILANDRI [5], DELECHAMPII [6] aliorumque auctoritatem, rejecta voce *ſoliis*, legendum dixerit, *doliis*: quaſi ſcilicet cadavera nonniſi urnis, & lagenis ex opere doliari conderentur. FLORVM, CVRTIVM, SVETONIVM ſepulcralia monumenta *ſolia* appellaſſe, jam animadvertit HARDVINVS [7]. Non ne lateritii operis erant ſarcophagi illi in longum

1 *Lib.* VIII.
2 *Lib.* VII.
3 *H. N. lib.* XXXV. *cap.* XII.
4 *Alſatia Illuſtrata Periodus Romana c.* XI. *Sepulcra Argentoratenſia.*
5 *Ad* VITRVVIVM *lib.*IX. *cap.*III.
6 *Ad h. v.*
7 *Ad* PLIN. *l. c.*

longum porrecti, integrum cadaver recepturi, quos BEBELIVS [1], atque ipſe SCHOEPFLINVS [2] edidit? Qui quidem ſarcophagi non ſemper tegulis, ſive imbricibus deinceps poſitis, uti Argentoratenſes, conſtabant, ſed etiam erant capſae ſolidae, & continuae, quarum ſpecies eſt in Liviae Aug. Columbario [3]. Neque vero quiſpiam ſit, qui exiſtimet ſepulcra lateritia *temporaria* tantummodo fuiſſe, aut facultatum inopia, egeſtateque parata. Nam etſi non inficiar id aliquando contigiſſe, nae illi vehementer errant, qui exinde urnas argillaceas ab uſitatis excludunt ſepulcris. Fuit profecto tempus, quo politiſſima Graecorum natio ſiglinarum opera permagni fecit, eaque cujuſvis aedificii expolitioni impendit [4]: cur ergo deſpicatui haberet, quum eſſent extruendi ſarcophagi? Immo vero ſi omnis propemodum natio oſſa, atque cineres eorum, quos cariſſimos habuerat, coctilibus urceis, doliis, lagenis condere minime verita eſt, ſane neque abjectum, neque Graeco, aut Romano homine indignum eſſe poterat, corpora fictilibus urnis commendari; nomina etiam, ut a Corcyraeis factum cernimus, lateribus, parvaeque teſtae conſignari.

Sed in tribus hiſce Corcyrenſibus cuneis non tam materia, quam ipſorum configuratio videtur potiſſimum expendenda. Qui enim potuit eſſe illorum uſus, & qua ratione ſepulcris aptari debuerant? Si ad modum pyramidum erecti, tumuloque impoſiti fuiſſent, male profecto majorum ſuorum memoriae conſuluiſſent Corcyrenſes; tunc enim trium feminarum nomina baſibus inſculpta, ab hominum conſpectu omnino remota nulli unquam patuiſſent. Aberat id oppido quam a communi antiquorum inſtituto, quibus cordi plurimum ſemper fuit defunctorum nomina nedum ad ultimam poſteritatem tranſmittere, ſed ſic ſepulcris in-

1 *Antiquitatum Germanar. pag.* 91.
2 Loco indicato.
3 Deſcriptum a CL. GORIO. *Deſcriptio* §. III. *Tab.* XVII.
4 Confer quae diximus. *Part.* III. §. IV.

ſcribere, ut omnium, vel praetereuntium oculis obverſarentur. Diverſum igitur oportuit fuiſſe illorum poſitum; nempe qualis ex architectonicae legibus ſolet eſſe cuneorum, ſive marmore, ſive luto conſtent. Sic enim a lapicida, vel figulo ſecantur, atque in eam formam rediguntur, ut inter aedificandum facile inſeri poſſint, ubi muri convexione quadam exterius ſe ſe porrigunt: id quippe poſtulat orbicularis ſtructurae ratio, ut lapides, vel lateres pro fabricae mole ſenſim introrſum gracileſcant [1], quod circuli neceſſario fiant minores, quo magis ab externo operis ambitu recedunt, minus proinde pateat materiae a Cementariis inducendae ſpatium. Itaque nullus dubito, cuneos ejuſmodi immiſſos, infixoſque quondam fuiſſe parieti circularis alicujus communis ſepulcri, ſive lateritii *Columbarii*, quod Libertis, Libertabuſque alicujus nobilis Corcyrenſis Civis extructum fuerat. Quid? quod cuneorum ſuperficies prope ad ipſorum apicem conroſa, atque ita dicam delibrata conſpicitur? Ibi nimirum ruptura accidit, ubi calcis tenacitas, partiumque adhaeſio externi aeris impetu, tempeſtatumque injuria minime debilitata efficit, ut compactior, ſolidiorque perſeveret ſtructura, atque adeo lateres firmius ea parte adglutinati avelli nequeant, quin in extrema ora atterantur, aut diſſiliant; ex quo evidenter appareat, muro inſertos exſtitiſſe. Quandoquidem vero de nominibus trium feminarum, quae forte de grege ſervorum erant, fruſtra omnis a me ſuſciperetur diſquiſitio; reſtat, ut dicam de pia dolentique ſalutatione **XAIPE**, qua pene omnia hujus noſtrae poſtremae partis, uti infinita alia ſepulcralia epigrammata, concluduntur. In quo ne ad ea, quae multorum ſcriptis jamdudum

---

1 Liquet ex illo VITRVVII praecepto *lib.I.cap.V.* de rotundis turribus faciendis: *In rotundationibus autem, uti cuneos ad centrum adigendo laedere non poſſunt.* Quae verba PHILANDER ſic declarat. *Quum rotundae res multorum cuneorum compactione conſtent, alterique alterorum collateralium ope confirmentur, non poterat ullus ſede occupata protrudi.*

dum protrita ſunt [1], orationem importune excurrere patiar, illud tantummodo animadvertiſſe praeſtabit, huc neutiquam pertinere poſſe ARTEMIDORI locum in *Oneirocriticis*, qui a nonnullis ſcriptoribus huic formulae declarandae ſolet afferri. Si enim **τὸ** *ſalve* erat ARTEMIDORO male ominatum verbum, quaſique internecionem portendens: **ἔῤῥωσο δὲ καὶ ὑγίαινε, οὔτε λέγειν οὔτε ἀκούειν ἀγαθὸν**, *vale*, *&* *ſalve neque dicere, neque audire bonum eſt* [2]; quî potüiſſet in monumentis, tituliſque ſepulcrorum uſurpari, ubi ſingula fere verba ad commiſerationem compoſita ſummam erga vita functos pietatem redolebant, pandebantque hoc unum in votis eſſe parentibus, & amicis infeliciſſimis, ut omnia illis apud Inferos proſpere ſuccederent? Alia ergo, longeque diſſimilis ſuberat huic formulae **XAIPE** tumulis inſculptae ſignificatio, eratque contra amica, ac benevola apprecatio, qua qui monumentum poſuerant, mortuo bene eſſe augurabantur, atque exoptabant levem, & ſine pondere terram reliquias illius contegere, oſſa ejuſdem molliter, placideque cubare, abeſſe a ſepulcro dolum malum, impiamque violationem, nullam bonis manibus injuriam inferri, tandemque animam in laetas referri ſedes, aeternumque valere. Igitur licet hoc verbum nonnumquam injurioſum audiret, atque a Comicis praeſertim in eos jaceretur, qui in malam rem abire jubebantur, in titulis ſepulcralibus tamen nonniſi boni ominis ergo inſculpebatur. Adeo autem verum eſt, amicam ſalutationem, precationemque amoris pleniſſimam fuiſſe, ut in inſcriptionibus aliquando geminata reperiatur, aliquando etiam mortui introducantur loquen-

 tes,

---

1 Plura in hanc rem tradunt KIRCHMANNVS *de Funeribus lib.* III. *cap.* IX. MEVRSIVS *de Fun. cap.* XXXI. ASTORIVS *in antiquum Alcmanis Poetae Monumentum*, aliique de Funeribus ſcriptores, qui omnium teruntur manibus. Quamquam adducta ab his veterum praeſertim poetarum teſtimonia de extremo illo, ac flebili vale, accipi debent, quod morientibus dicebatur, non de formula ſepulcrali, quae nonnihil differre videtur.

2 *Lib.* I. *cap.* LXXXV.

tes, vicemque pari verbo rependentes his, qui illis bene eſſe exoptabant, ea formula: **ΧΑΙΡΕ ΚΑΙ ΣΥΓΕ**, *vale & tu* [1]. Cujus dialogi eſt apud ARISTOPHANEM ſingulare exemplum [2]; ſic enim Hercules Dionyſio ad inferos proficiſcenti fauſte omnia evenire expetit, viciſſimque Dionyſius Herculem incolumem eſſe optat:

HER. *καὶ χαῖρε πόλλ' ὦ 'δελφέ.*
DIO. *νὴ Δία καὶ σύ γε ὑγίαινε.*


Et vale plurimum, o frater.
Per Jovem & tu omnino vale.

IDEM

1 V. GRVTER. *pag.* DCCLXXVIII. FABRETTVM *pag.* DCLXIX. BOVHIERIVM *Explication de Quelques Marbres Antiques Inſcript.* IV.
2 *In Ranis.*



Ex Aere.



E Corcyra 1759. *Lat. pal. Rom. 2:7*

IDEM EPIGRAMMA

MINVSCVLO CHARACTERE REDDITVM

Μυρί᾽ ἀποφθιμένοιο τάφῳ περὶ τόδε χυθεῖσα
  Παιδὸς Ἀλεξάνδρου μύρατο Καλλιόπα,
Ὠκύμορον καὶ ἄτεκνον ἐπεὶ θέτο τάδ᾽ ἐπὶ γαίᾳ,
  Ἑπτὰ καὶ εἴκοσ᾽ ἔτους πνεῦμα λιπόντα βίου,
Ἴϛορα παιδείας, τόξῳ κλυτὸν ᾧ πόκα ληϛὰς
  Ἀνδροφόνους ἁλίαις κτεῖνεν ἐπὶ Στροφάσιν.
Ἀλλ᾽ ἴθι νῦν παροδῖτα, τὸν ἐκ χθονὸς Ἀλκινόοιο
  Χαῖρ᾽ εἰπὼν ἀγαθοῦ παῖδ᾽ ἀγαθὸν Σατύρου.

Sic ego Latine.

Millies huic circumfuſa ſepulchro defuncti
  Filii Alexandri flevit Calliopa,
Poſtquam celeri ſublatum fato, & improlem condidit (illum) *ſub hac terra*
  Septem, & viginti annorum ſpiritu orbatum vitae;
Callentem litteras, & arcu inſignem, quo olim praedones
  Homicidas marinas peremit ad Strophadas.
Sed abi nunc viator; (puero) *de regione Alcinoi*
  Salve dicto boni Satyri bono filio.

§. I.

§. I.
AD EPIGRAMMA
ALEXANDRI SATYRI F. CORCYRENSIS

COMMENTARIVS

TRICESIMVS jam annus agitur, ex quo viri ſapientia, & eruditione praeſtantes nitidiſſimum hoc epigramma perſpectum habuerunt, miratique carminum elegantiam, & Graecarum Charitum venuſtatem, commentatiunculas de eo ſcripto mandarunt. Quum anno cIɔIɔccxxvIII. in agro Corcyrenſi ad montis cujuſdam radices terra a paganis paullo altius egereretur, hic ſe ſe prodidit diffractus inſignis lapis, qui in urbem Inſulae caput continuo delatus in privatae familiae aedibus jacuit ad ſuperiores uſque annos, quibus Venetias in ditiſſimum illud Muſarum ſacrarium, quod apud NANIOS eſt, migravit, ſedemque fortunatiorem eſt adeptus. Statim atque emerſit in lucem, Graecus homo bonis litteris minime ignarus STELLIVS MASTRACÀ eruditorum par, qui per eos Patavii cum multa doctrinae laude degebant, conſuluit, rogavitque, ut huic epigraphae explicandae ſymbolam conferrent ſuam. Fuere autem hi DOMINICVS LAZZARINVS in Patavino Gymnaſio humaniorum litterarum anteceſſor clariſſimus, & ANTONIVS STRATICÒ Cretenſis Graeci Collegii ea in urbe moderator, qui nulla interpoſita mora inſcriptionem ſuſceperunt explanandam, licet alter ab altero ſententia, & interpretatione plurimum diſcrepaverit [1]. Hunc

1 Binae epiſtolae Italicae LAZARINI, & STRATICÒ apud me ſunt manu exaratae ad calcem Codicis, quem mihi commodavit Bibliothecae Vaticanae Graecarum litterarum interpres ingenuis moribus, & eruditione ſpectatiſſimus RAPHAEL VERNAZZA Chius. Deliberaveram utram-

Hunc deinde lapidem anno cIɔIɔccxl. Theſauro ſuo inſeruit Mvratorivs [1], ut mirum ſit Venetum Ephemeridum litteratarum deſcriptorem, hominem alias ſatis navum, & eruditum, affirmaſſe ſe in nullis veterum inſcriptionum collectaneis, quae ad manus ſolent eſſe, hoc marmor reperire potuiſſe [2]. Ex Theſauro Muratoriano exſcripſit deinde Fr. Bonada, qui tamen inſcriptionem metrice Latinam fecit [3]. Nil ego ſane iſtorum hominum ingenii, doctrinaeque laudibus demptum volo, nec eorum ſtudia auſim vituperare. Sed videntur calamo properante rem omnem confeciſſe, vixque ex Graecis ſcriptoribus, aut ex aliis id genus epigrammatis quidpiam hauſiſſe. Quo plane fieri oportuit, ut illorum interpretatio ſubobſcura, perplexa, mireque fluctuans viris harum rerum ſtudioſis non omnino probaretur. Praeſtabat ergo inſigne monumentum paullo accuratius interpretari, verſionemque ipſius ex Graecanicarum rerum fontibus repetere: & poſtquam in Senatoris Nanii manus cimelium hoc feliciter devenerat, graphidem ex autographo ſumma eum fide delineatam heic ſubjicere, ut qui hactenus nonniſi incorrecta epigrammatis exemplaria fortaſſe legerant, cum elegantiſſimam ſepulchri formam, tum nativam ipſius ſcripturam prae oculis haberent.

ADNOTATIONES.

MYPI. *μυρί'*. Nullo modo mihi ſapit, quod Lazarino, & Mvratorio perſuaſum fuerat, in primo epigraphae verbo erratum excidiſſe, & pro *μυρί'*, vel *μυρία* refingendum

utramque in publicum dare, ſed conſultius viſum eſt, quae in utraque notatu digna ſunt, in noſtris ad epigramma obſervationibus recenſere, ne eadem lectoribus pluries obtruderem. Facilius etiam, atque diſtinctius de illorum interpretatione ex noſtris caſtigationibus cuivis licebit aeſtimare.

1 *Tom.* II. *pag.* MXLI. 5.

2 *Memorie per ſervire all' Iſtoria Letteraria tom.* I. *Part.* V. *pag.* 62. *Maggio* 1753.

3 *Carmina ex antiquis lapidibus &c. Volum.* II. *Claſſe* XI. *Epigr.* XLVII.

dum *μύρα*, *unguenta*, ut ſenſus ſit, Calliopam inſanabi i incenſam dolore filii ſui tumulum unguentis, odoriferiſque liquoribus adſperſiſſe. Credibile ne lapicidam in ipſa operis ingreſſione ſic improvide oſcitaſſe, qui in toto epigrammate deſcribendo ſe praebuit ſolertiſſimum? Atqui rectiſſime ſcriptum eſt *μυρία*, ultima propter inſequens verbum eliſa littera: cujus quidem *ἀποκοπῆς* veſtigium adhuc micat in marmore, accentu deſuper inſculpto. Ineſt huic verbo energia quaedam, atque emphaſis, qua doloris magnitudo, & quam ſaepe moeſtiſſimae matris oculi lacrimis intumuerint, elegantiſſime a poëta exprimitur, ac demonſtratur. **Μυρίος** enim vox eſt, quae omnium Lexicographorum fide ab optimis ſcriptoribus pro ingenti, immenſo, ac infinito numero accipitur; hinc in adverbium verſa, & *παραξυτόνως* ſcripta, *μυρία*, pro *μυρίως*, tantumdem valet, ac *innumerabilibus vicibus*; ea ratione qua a Latinis dicitur *millies*, & *ſexcenties*. Itaque epigrammatis auctor, ut oſtenderet, Calliopam modum lugendi nullum feciſſe, aptiſſimo uſus verbo, ſic exorſus eſt: *μυρί' ἀποφθιμένοιο* &c.

ΑΠΟΦΘΙΜΕΝΟΙΟ. *ἀποφθιμένοιο*. Non ſum neſcius, *ἀποφθίομαι*, *φθίομαι* perſaepe reddi: *perdor*, *interficior*; indeque *ἀποφθιμένος*, & *καταφθίμενος* is eſt, qui vi illata ad orcum dimittitur. In hanc ſententiam facit epitaphium Aeſchyli [1], qui Athenis in certamine poëtico victus a juniore Sophocle, in Siciliam indignabundus conceſſit, atque prope Gelam, dejecta ſibi in caput ab Aquila teſtudine, ex gravi hinc ſuſcepto vulnere traditur interiiſſe.

Ἀισχύλον Εὐφορίωνος Ἀθηναῖον τῷδε κεύθει
Μνῆμα ΚΑΤΑΦΘΙΜΕΝΟΝ πυροφόροιο Γέλας

Aeſchilum Euphorionis (filium) *Athenienſem hic claudit*
Tumulus, mortuum apud frugiferam Gelam.

Communius tamen verbum hoc ſumitur pro *interire*, *fato*

P. IV. Bb *fun-*

1 Apud PLVTARCHVM *de exilio*.

fungi , *emori* &c. Quare participium ſignificat eum , qui naturae debitum perſolvit . De quo mihi ipſi ſilentium impero, quandoquidem eximia , atque apertiſſima huic ſignificationi confirmandae exempla protulit jam vir Graece ad miraculum doctus , quem honoris , dulciſſimaeque neceſſitudinis cauſſa ubique nominatum volo , M. A. GIACOMELLI [1] . Porro quum Calliopa non lamentetur , fuiſſe ab aliquo vitam filio ſuo ademptam , uti conſuevere matres , qui filiis miſere examinatis , atque interfectis monumentum ponebant , evidens fit , Alexandrum , licet **ὠκύμορον** celeri , & ſubito fato ſublatum , tamen ſua morte occidiſſe . Hinc **ἀποφθίμενον** verti *defunctum* , non ut aliis placuit , *interfectum* .

ΚΥΘΕΙΣΑ . **κυθεῖσα** . Nullus plane eſt ex memoratis interpretibus , ſi Graecum origine virum STRATICÒ excipias , qui veram , nitidamque hujus vocis ſignificationem ſit aſſequutus . Equidem viderat LAZZARINVS ex **χύω** derivari oportere , ſed vim activam ei tribuit, utque illam cum a ſe excogitatis balſamis copularet, ita reddidit: **μύρα χυθεῖσα** , *unguenta fundens* . In eadem ſententia fuit MVRATORIVS , qui locum hunc ſimilibus verbis explicavit . His ſuffragatus eſt doctus caeteroqui BONADA ; in cujus opere typographi incuria mendum irrepſit , quo tota perturbatur ſententia , ſic enim legitur :

Hunc circa tumulum fundens unguenta parenti
Filii Alexandri Calliope illacrimans .

Vbi procul dubio pro *parenti* auctor ſcripſerat *perempti* . Sed longius adhuc a vero lapſus eſt Venetus Polyhiſtor dum incerto verborum peribolo nihil dixit , quod Graecae etymologiae ſit conterminum : *Calliopa provoluta ad hoc ſepulchrum longe miſerrimi filii &c.* [2] Eſt tandem Anonymus , a quo vox **χυθεῖσα** licentius Latine convertitur , *dilecta* .

1 *Annot. all' Elettra di Sofocle v.* 230.
2 *Memorie &c.* ubi ſupra .

ςτα[1]. Verum nihil erat, cur ſe tantopere diſcruciarent interpretes, vocemque per ſe perſpicuam, propriam, accommodam in varias partes detorquerent. Namque ſive *χύω*, ſive *χύμαι* pro themate conſtituatur, *χυθεὶς*, & *χυθεῖσα* paſſivam praeteriti temporis habent ſignificationem, ideoque exponuntur: *fuſus*, *fuſa*; *effuſus*, *effuſa*. Ergo ne erat repudiandum verbum, quo non eſt aptius alterum ad infeliciſſimae Calliopae ſtatum exprimendum? Quo toties uſus eſt elegantiarum parens Homervs, vel ut eos deſcriberet, qui ſe totos triſtitiae, & lacrimis dederant; vel ut doceret qua vi exagitet, efferatque animos inſignis amor? Vt enim Briſeidae dolorem in acerbiſſimo Patroclis caſu pingeret, dixit[2]:

Ὡς ἴδε Πάτροκλον δεδαϊγμένον ὀξέϊ χαλκῷ
Ἀμφ' αὐτῷ χυμένη λίγ' ἐκώκυε . . . .

Vt vidit Patroclum ſaucium ferro,
Circa ipſum fuſa ejulavit . . . .

Similiter ut Vlyſſis ſocios tenerrimi amoris ſigna dediſſe oſtenderet, quum ex inſidioſa Circes domo ad navim revertentem conſpexerunt, Vlyſſem ipſum ad hunc modum loquentem inducit[3].

. . . . . . Ὡς ἐμὲ κεῖνοι ἐπὶ ἴδον ὀφθαλμοῖσι
Δακρυόεντες ἔχυντο . . . .

. . . . . . Sic me illi poſtquam viderunt oculis
Plorantes (ſtabant) *circumfuſi . . . .*

Sed in hujuſce vocis uſu Graecorum poëtarum veſtigiis inſtiterunt Latini, maximeque Lvcretivs, ubi almam Venerem

 bra-

1 Miſit Cl. Sen. Nanivs.
2 *Iliad. τ. verſ.* 283.
3 *Odyſs. κ verſ.* 414.

brachiis, atque amplexibus ambitioſiſſimis admoventem pectori Martem deſcribit [1]:

Hunc tu diva tuo recubantem corpore ſancto
Circumfuſa ſuper &c. . . . .

Itaque quamadmodum ab epigrammatis auctore ad Calliopae dolorem, amoremque inſimul demonſtrandum, quibus percita ſepulchrum filii millies complexa eſt, elegantiſſime, & Homerico plane modo dicitur: **τάφῳ περὶ χυθεῖσα**; ſic nec convenientius, nec Latine magis, ut reor, a me id reddi poterat, quam: *ſepulchro circumfuſa*.

ΠΑΙΔΟΣ. Παιδὸς. Quamvis haec vox infantem tenellum, vel puerum, vel ad ſummum, adnotante **XENOPHONTE** in primo Cyropaediae libro, juvenem, qui nondum pubuit demonſtrare videatur; nihil tamen a Graecae linguae proprietate alienum fecit auctor epigrammatis, ſi Alexandrum ſeptem, & viginti annis denatum, atque **κλυτότοξον** potius **παῖδα** quam **υἱὸν** appellavit. **Παῖδες** enim a Graecis ſcriptoribus paſſim dicuntur *liberi* cujuſvis aetatis. **Παῖς** ipſi HOMERO nomen ſic genericum fuit, ut adjunctum ſaepe adſcripſerit, quo *filii* aetas internoſceretur.

ATEKNON. **ἄτεκνον**. Gravior adhuc mœror, accerbiorque triſtitia Calliopae animum obſidebat ob filii **ἀτεκνίαν**: quod nullum ſcilicet, ut auguror, ex ipſius connubio nepotem ſuſcepiſſet: non enim conqueſta eſſet, filium non modo praemature ſibi fuiſſe ereptum, ſed orbum liberis deceſſiſſe, niſi ex ipſius nuptiis futurae prolis ſpes affulſiſſet.

ΠΝΕΥΜΑ &c. **πνεῦμα λιπόντα βίυ**. Hoc quidem loci nequeo tacitus praeterire doctiſſimi MARTORELLII Graecarum litterarum in patrio, Regioque Athenaeo Profeſſoris animadverſionem ad Graecum marmor an. CIƆCCLIX. Neapoli effo-

1 *De Nat. Rer. lib. I.*

effoſſum [1]: Scilicet, inquit ille, ab Ethnicis vetuſtis ſcriptoribus τὸ πνεῦμα tantummodo pro *flatu*, *vento*, *reſpiratione*, numquam vero pro ψυχῇ fuiſſe uſurpatum; quare ſuo epigrammati plurimum commendationis, pretiique accedere gloriatur, quod nova haec notio inibi primum deprehenſa ſit. Illud deinde monet, Neapolitanum epigramma nonniſi quarto poſt Auguſtum ſaeculo fuiſſe exaratum; ea nempe aetate, qua πνεῦμα ad ſignificationem *animae* declinavit. Verum hujus dictionis exemplum multo vetuſtius repeti poterit ex hoc Corcyrenſi lapide, cui certiſſime metrica inſcriptio longius antea inſculpta fuit. Quid enim ſibi vult πνεῦμα βίȣ, quo Alexander vitam cum morte commutans, deſtitutus perhibetur? Nonne ille ſpiritus eſt, quo corporis compagem intus agitante, animari, & vivere, quo abeunte, animam exhalare, & interire dicimur? Nonne ille idem *vitalis ſpiritus*, quo ubi orbari contigit Calliopae filium, exanimatus is eſt? Πνεῦμα ergo a poëtis aevo Theodoſiano antiquioribus non modo pro anhelitu, flatuve, ſed loco ψυχῆς accipiebatur. Sed eſt, quod magis mirer, oculatiſſimum MARTORELLIVM nihili feciſſe duo luculentiſſima veterum ſcriptorum teſtimonia, a STEPHANO [2] indicata, quibus ipſius ſententia labefactari videtur. Primum eſt in funebri illuſtrium Ducum ad Chaeroneam interfectorum laudatione, quam, repugnantibus licet DIONYSIO, LIBANIO, PHOTIO, velut genuinum DEMOSTHENIS foetum agnoſcunt viri eruditiſſimi.

---

1 Confer praeſertim quae is ſcripſit in libello: ΑΠΟΛΟΓΟΥΜΕΝΩΝ ΔΕΥΤΕΡΩΝ *Part.*I. ΣΧΕΔΙΑΣΜΑΤΙΔΙΟΝ Β. *pag.*10. *&c.* Continet autem hoc marmor epitaphinm metricum pueri *Ariſtonis*, quod quidem omnium primus exſtricavit, atque interpretatus eſt MARTORELLIVS. Sed feſtina ipſius explicatio infinitas excivit turbas, doctoſque Neapolitanos in contraria ſcidit judicia. Mitto numerare vel amarulentas cenſuras, quibus illius libelli fuerunt laceſſiti, vel apologumena, quibus Regius Profeſſor prolatam a ſe divinationem tutari conatus eſt; vix enim alia exſtitit inter litteratos controverſia, quae totidem ſit exagitata ſcriptionibus.

2 *Theſaur. L. G. tom.*III. *h. v.*

ſimi [1]. Graecus itaque Orator ne eamdem vocem ψυχὴν, qua pluries uſus erat, faſtidioſe Athenienſium auribus inculcaret, de ſtrenuis militibus fatali eo praelio ſuperatis dixit: ἅμα γὰρ τὰ τέτων πνεύματα ἀπηλλάγη τῶν οἰκείων σωμάτων, καὶ τὸ τῆς Ἑλλάδος ἀξίωμα ἀνῄρηται, *nam ſimul atque horum ſpiritus ſua corpora reliquerunt, & Graeciae ſuus honor ſublatus eſt* [2]. Qui nam, quaeſo, ſpiritus vere, proprieque *corpora relinquunt*, dum vita excedimus, niſi *Animae*? Ad *reſpirationem* locus hic profecto haud pertinet, rectiſſime enim a Simonide dictum accepimus [3]:

. . . . . ἀναλύεται τὸ σῶμα πνεύματος φυγόντος,
. . . . . *Corpus reſolvitur emigrante ſpiritu*.

Alterum vero teſtimonium eſt in libro περὶ κόσμου πρὸς Ἀλέξανδρον, qui Aristoteli tribui ſolet, ubi auctor *cap.* IV. poſtquam dixit, ventum πνεῦμα appellari, addit de *anima* etiam commodiſſime accipi: λέγεται δὲ καὶ ἑτέρως πνεῦμα, ἥ τε ἐν φυτοῖς, καὶ ζώοις, καὶ διὰ πάντων διήκουσα, ἔμψυχός τε καὶ γόνιμος οὐσία, *alioquin ſpiritus appellatur ſubſtantia animata, & genitalis in ſtirpibus, atque in animantibus exiſtens, perque omnia pertingens*. At Cl. Martorellius, cui probe perſpectum erat, librum hunc a viris κριτικωτάτοις ex numero Ariſtotelicorum excludi, & ab aliis Theophrasto, ab aliis Nic. Damasceno, Anaximeni Lampsaceno, Possidonio Stoico attribui [4], haec omnia fortaſſe rejecit, nec dubiis, ambiguiſque teſtibus quicquam fidendum duxit. Ego tamen, qui quamvis pro eorum αὐθεντίᾳ non auſim pugnare, omnino perſuaſum habeo, duo recitata loca ſcriptorum eſſe, qui Theodoſii tempora longe praeceſſerunt, Martorellianum συστή-

1 V. Fabricium *Biblioth. Graec. lib.* II. *cap.* XXVI. & Hieron. Wolfii *argumentum ad eam orationem*.
2 *Tom.* I. *Orat.* XXII. ejudem edit.
3 Apud Stobaeum *Serm.* CXV.
4 Rurſus adi Fabricium *B. G. lib.* III. *cap.* VI.

συςήμα his explodi reor. Quandoquidem vero ad poëtas is maxime provocat, ut hujus novae notionis epocham conſtituat, EVRIPIDEM [1], ſuo Juliano multo antiquiorem audentius opponam, qui de naturae diſſolutione agens, ſententiam illam uſurpavit:

Ὅταν δ᾽ ἕκαςον εἰς τὸ σῶμ᾽ ἀφίκετο
Ἐνταῦθ᾽ ἀπῆλθε, πνεῦμα μὲν πρὸς αἰθέρα
Τὸ σῶμα δ᾽ εἰς γῆν.

Vnde enim unaquaeque pars hominis venit in corpus
Eo redit, ſpiritus quidem in aetherem,
Corpus vero in terram.

An reſpiratio, flatuſque eſt πνεῦμα, quod dum corpus terrae mandatur, ſupera, coelumque pervadit? Mitto id genus alia, quae perfacile eſſet ex ZVINGERI collectaneis [2] conradere, atque in hunc locum comportare. Caeterum ſumma ſemper laus MARTORELLIO manebit, qui ſtudia in id maxime contulit, atque intendit ſua, ut patrias antiquitates ab aliis ſaepe neglectas illuſtraret.

ΙΣΤΟΡΑ &c. ἵςορα παιδείας τόξῳ κλυτόν. Quae duae maxime res in liberali puerorum educatione Graecis curae erant, ut litteris, & eruditione imbuerentur, atque armis, belloque aſſueſcerent, in Alexandri inſtitutione a Satyro, & Calliopa ipſius parentibus minime praetermiſſae fuerunt. Porro τόξον a poëta heic ſumitur pro ipſa τοξοτικῇ ἐμπειρίᾳ, ſive arte, peritiaque ſagittandi, quod, teſtante HESYCHIO, Graecis haud inſolens fuit. Atque in ea arte excelluiſſe dicitur Alexander, quam Dii ipſi exercere praeclarum reputabant. Nam HOMERVS Herculis, & Euryti jaculandi peritiam laudaturus, inquit [3]:

Οἵ

1 *In Supplicibus v.* 533.
2 *Morum Philoſophiae Poeticae lib.* II. *cap.* III. *lib.* XV. *cap.* II.
3 *Odyſs.* θ *verſ.* 225.

Οἵ ῥα καὶ ἀθανάτοισιν ἐρίζεσκον περὶ τόξων.

Qui etiam cum immortalibus (Diis) *contendebat de arte ſagittandi*.

Omnem autem artem eo retulit Alexander, ut eam ſibi pareret laudem, quam THVCYDIDES initio hiſtoriae Minoni Cretenſium Regi tribuit [1]; videlicet piratas e mari Aegaeo ſuſtuliſſe. Quamquam major quaedam commendatio deberi videtur Corcyrenſi adoleſcenti, qui ad remotas uſque Strophades perrexit, ut praedonibus bellum inferret, ac illos per ſe ſe devicit, atque peremit.

ΑΛΙΑΙΣ &c. *ἁλίαις ἐπὶ Στροφάσιν*. Strophades Grajo nomine dictae minores illae duae inſulae circa Peloponneſum poſitae, a poëta *ἁλίαι* nuncupantur, ea ratione, qua a STRABONE [2] *πελάγιαι in alto ſitae* appellatae ſunt. APOLLONIVS Rhodius [3] aſſerit, *πλωτὰς* antea fuiſſe denominatas, ideſt natantes in aquis, atque in mari fluctuantes. Epitheton ergo *ἁλίαι*, quod fortaſſe caeteris inſulis attribui poſſe videtur, Strophadum tamen proprium eſt; illarum namque ſitus, atque conditio apprime ſic demonſtratur.

ΕΚ ΧΘΟΝΟΣ. *Ἐκ χθονὸς Ἀλκινόοιο*. Corcyram Alcinoo multis nominibus caram hic denotari, intelligunt vel qui Graecam hiſtoriam primoribus etiam labiis attigerunt.

ΧΑΙΡ'ΕΙΠΩΝ &c. *χαῖρ' εἰπὼν ἀγαθοῦ*. Poſtremi hujus verſus ſenſum per ſe facilem, atque planum mire ſollicitavit, turbavitque ingenioſus STRATICÒ. Nam primo *τὸ χαῖρε* non *vale*, *ſalve*, *have* reddendum putat, ſed potius *luge*. Deinde duo inſequentia verba inter ſe nectit, rejecto in antecedens elementum ε; ad hunc modum *χαῖρε ἱπωναγάθου*, ut *Hiponagathus* ſit nomen Patris Alexandri, *Σατύρου* vero ſit vel agnomentum ipſius Hiponagathi, ductum ab oris rictu, vel Avi

1 *Lib*. I.
2 *Lib*. VIII.
3 *Argon. lib*. XI. *verſ*.296.

Avi nomen. Quamobrem totum integrum verſum ſic convertit: *Age nunc viator, luge bonum filium Hiponaghati Satyri*. In quo majorem quamdam poëſeos gratiam effulgere contendit. Verum rem ſatis perſpicuam ſubtilius diſputando obſcuram, dubiamque fecit. Nam primum vereor, ne verbum χαίρω, quod ad laetitiam, gaudium, hilaritatem exprimendam ab omnibus ſcriptoribus conſuevit adhiberi, ad lamentationem, luctumque ſignificandum recte deduci queat. Deinde dum veneres conſectatur, ἀνάληψιν de medio tollit, ex qua poëticus exſurgit lepor, in his epigrammatis frequens. Tum etiam ſublato participio εἰπών, nomen ἀδιόρθωτον conflat, ἱποναγάθου, quod ipſe duplici π ſcribendum eſſe fatetur. Quare firma, fixaque maneat omnibus probata, atque a nobis propoſita lectio, ut pote quae cum uſitata ſepulcrali formula oppido conſentit. Diximus enim paullo antea Graecis frequentiſſimum fuiſſe, ut mortui apud Inferos, Elyſiaſque fortunatiſſimas domos χαίρειν juberentur; cujus rei gratia invecta in ſepulcris illa boni ominis ſalutatio, qua viator oculos in ſaxum intendens, tranquilliſſimam beatitatem, fine carituram defuncto rurſus apprecaretur.

Nec minus uſitata in Graecis epitaphiis erat altera formula, qua defunctos optimo animo, temperatiſque moribus eſſe uſos legentibus obnunciabatur: quae laus erat veluti ſupremum amoris officium, quod mortuo impendebatur, indiciumque doloris, quo illius amiſſione urgeri ſe, afficique demonſtrabat qui monumentum poni curaverat: unde inſcriptio illo plerumque claudebatur epiphonemate: χρηστὲ, vel χρηστὴ χαῖρε, cujus exempla ſuppeditant anaglyptica ſepulcra inferius a me evulganda. Attamen receptum ejuſmodi verbum auctor noſtri epigrammatis in alterum aequipollens, ἀγαθός, metri gratia immutavit; ſed idem procul dubio illi inſidebat menti conſilium, ut actam ab Alexandro integerrime vitam oſtenderet. At quid, quod hanc commendationem non Adoleſcenti modo, ſed etiam patri ipſius *Satyro* tribuerit? Receptae jamdudum diſciplinae, veteriſque inſtituti retinentiſſimum in eo fuiſſe, docebit Theophra-

STVS [1]. *γυναικὸς τελευτησάσης ἐπιγράψαι ἐπὶ τὸ μνῆμα τοῦ τε ἀνδρὸς, καὶ τοῦ πατρὸς, καὶ τῆς μητρὸς καὶ αὐτῆς τῆς γυναικὸς τοὔνομα καὶ ποδαπή ἐστι. καὶ προσεπιγράψαι ὅτι πάντες χρηστοὶ ἦσαν, ſi uxor obierit, monumento ipſius & mariti, & patris, & matris nomina inſcribet, itemque cujas ipſa ſit: tum hoc elogium inſuper adjiciet: omnes ſingulari erant probitate.* Verum nulla cauſſa eſſe poterat, ob quam ejuſmodi parentum laudatio nonniſi in uxorum ſepulcris deſcriberetur, ſiquidem erat amplius quoddam mortui encomium, quod non modo bonae indolis ipſe exſtitiſſet, ſed probiſſimis majoribus fuiſſet procreatus; ideoque quod THEOPHRASTVS loco mox adducto de conjuge, cujus tum inciderat ſermo, affirmavit, cujuſvis hominum tumulo inſcribi licuiſſe, ſine controverſia cognoſcitur. Atque ita revera uſuveniſſe cum multa ſepulcralia epigrammata condocefaciant, tum hoc noſtrum Corcyraeum, in quo Alexander *boni patris bonus filius* nuncupatur.

RELIQVA


1 *Characteres* τ̃ Περιεργίας ..... Edit. CASAVBONI.



Fictile EX Dalmatia 1758. Fictile EX Dalmatia 1758.

RELIQVA CORCYRAEA EPITAPHIA.

NVM. I.



E Palaeopoli Corcyrae 1758.


NVM. II.



E Palaeopoli Corcy. 1759

NVM. III.

3




E Palaeopoli Corcyrae 1760. *Alt pal R. 4.8*

NVM. IV.


NVM. IV.

4



E Palaeopoli Corcy: 1759.

4



NVM. V.

NVM. V.

5

ΘΕ ΜΙΣ
ΩΝ
ΧΑΙΡΕ

E Corcyra 1758.

NVM. VI.

6



E Palaeopoli Corcy: 1759.

EADEM MINORIBVS LITTERIS

NVM. I. Φορμίων . Ἀρτέμωνος . Μεγαρεὺς

Phormion . *Artemonis* . (filius) *Megarenſis* . (hic . ſitus . eſt) .

NVM. II. Λύκισκε . Λύκισκε . Χαῖρε

Lyciſce . *Lyciſce* . *Have* .

NVM. III. Λάμια . Σοφίυ . Σόφιος . Σοφοκλεὺς [1]

Lamia . *Sophii* . (fil.) *Sophius* . *Sophoclis* . (fil. heic conditi . ſunt) .

NVM. IV Γανκίος . Κορινθίυ

Gancii . *Corinthii* . (monumentum) .

NVM. V. Θεμίσων . Χαῖρε

Themiſon . *bene* . *tibi* . *ſit* .

NVM. VI. Fragmentum .

§. II.

AD RELIQVA CORCYRAEORVM EPITAPHIA .

COMMENTARIVS

INSIGNIS illa Phaeacum Metropolis a ſoli fertilitate , amoenitateque , ab incolarum luxu , opibus , reique tum nauticae , cum Athleticae peritia , ab aedium magnificentia , quarum veſtigia adhuc aetatem ferunt in ea Civitatis regione , quae *Palaeopolis* oppidanis dicitur , tantopere commendata , eo etiam nomine praeclare audit , quo a CALLIMACHO celebratur [2] : ... Κέρ-

1 Σοφοκλεὺς pro Σοφοκλέος . Rurſus Doricae pronunciationis indicia vides in Corcyrenſium monumentis .

2 *Hymn. in Delum v.* 156.

.....Κέρκυρα φιλοξεινωτάτη ἄλλων.

.....*Corcyra hoſpitalior caeteris omnibus*.

Exterorum hominum litterata ſepulcra illic reperta hanc Corcyraeorum erga hoſpites benevolentiam, indulgentiamque teſtantur. Corcyrae vita ceſſit Megarenſis homo Phormion (*Num. I.*) qui ex admodum diſſita, atque a Peloponneſiis quondam condita urbe [1], illuc conceſſerat, cui populares cum ſuis tumulari, atque inſcriptione honeſtari permiſerunt. Qua in inſcriptione τὸ σῖγμα duplici occurrit deſcriptum forma, altera lunata C, altera in angulum recurvata ᘔ. Num rei nauticae, vel Gymnaſticae gratia, num mercaturae faciendae, artiſve cujuſdam exercendae cauſſa patria migraverit, & Phaeacum terram appulerit, ibique, ut credi par eſt, ſedem ad extremum vitae ſpiritum fixerit, niſi plane deſipiam, fruſtra divinare adniterer. Sed quid mirum, Gancivm (*Num. IV.*) domo Corinthium Corcyrae diverſatum eſſe, ibique ultimum obiiſſe diem? Vetus enim illa Coloniae deductio, cujus jam meminimus [2], mutuam inter utrumque populum amicitiam parere debuit, ob quam deinde hoſpitium apud Corcyraeos Corinthiis facile pateret. Jamvero ſi in duobus hiſce monumentis Phormionis, & Gancii patriae nota adſcripta eſt, qua eorum peregrinitas dignoſceretur, ſequitur, niſi me fallo, Lyciscvm (*Num. II.*) Lamiam, Sophivm (*Num. III.*) atque Themisonem (*Num. V.*) inter indigenas eſſe numerandos.

Conſideranti mihi ſecundae inſcriptionis formam dubitatio injicitur, num dicata fuerit memoriae duorum hominum, quibus idem eſſet *Lyciſci* nomen. Nam paraſtatae ſiniſtrae pars diffracta, & injuria temporum avulſa perſpicue demonſtrat, luxatum, & mancum quoque eſſe zophorum, cui tria verba inſculpta ſunt. Ergo ſi epigraphe a quadratario exarata fuit apta verborum diſtributione, certoque commenſu,

1 Vellejvs *lib.* I. *cap.* I.
2 In hujus IV. Partis Anteloquio.

menſu, ad extremam zophori oram utrinque pertingere debuit, proindeque duae ſaltem litterae ſuperſtites inſequebantur, multumque probabile ſit, non **XAIPE**, ſed **XAIPETE** potius ſcriptum fuiſſe. Quamquam non iverim inficias, monumentum fortaſſis uni *Lyciſco* poſitum fuiſſe; eos enim, qui magnum ſui deſiderium decedentes reliquerunt, iterato compellare ſolemus: cujus moris infinita propemodum ſunt in Graecorum carminibus exempla. Eratque ea geminata conclamatio acerbioris, qua ſuperſtes conficiebatur, triſtitiae ſignificatio.

Vti varia eſt horumce lapidum ſepulcralium forma, ita varii inſculpti eiſdem characteres. Duo tamen a Graecis in hoc marmorum genere videntur fuiſſe plerumque retenta; ſcilicet ut epigraphe nudis perſaepe concluderetur nominibus, lapis vero aediculae frontem *δυόςυλον* columnis, vel antepagmentis utrinque terminatam, epiſtylio, cornicibus, cymatio, triglypho, metopis, tympano, varioque opere ornatam. Vtrumque ex Sicyoniorum more, ſi vera Pausanias [1] perhibet, profectum videtur. *ἀυτοὶ δὲ Σικυώνιοι τὰ πολλὰ ἐοικότι τρόπῳ θάπτουσι· τὸ μὲν σῶμα γῇ κρύπτουσι· λίθου δὲ ἐποικοδομήσαντες κρηπῖδα κίονας ἐφιςᾶσι, καὶ ἐπ' ἀυτοῖς ἐπίθημα ποιοῦσι, κατὰ τοὺς ἀιετοὺς μάλιςα τοὺς ἐν τοῖς ναοῖς. ἐπίγραμμα δ' ἄλλο μὲν γράφουσιν οὐδέν, τὸ δὲ ὄνομα ἐφ' ἑαυτοῦ καὶ οὐ πατρόθεν ὑπειπόντες κελεύουσι τὸν νεκρὸν χαίρειν*, *ad hunc ferme modum ſuorum cadavera condunt Sicyonii. Corpus terra contegunt, deinde lapidea baſi exſtructa columnas erigunt, iiſque faſtigium imponunt, eo ferme modo, quo faſtigia in templis. Inſcriptionem autem aliam addunt nullam, ſed defunctum ſuo tantum nomine, omiſſa patris mentione appellatum valere jubent.* Atque hanc templi formam, quam Sicyonii in extruendis ſepulcris invexerunt, alii Graeciae populi retinuere, exſculpta ſaltem aedis ſpecie, atque ſimilitudine. In qua caeteroquin nihil aliud ſpe-

1 *Corinthiac.* ſive *lib.* II. *cap.* VII.

ctaſſe credo, niſi ut mortuos majori, quo poterant, afficerent honore, cineribuſque eorum ad quieſcendum digniſſimam domum paraſſe ſignificarent.


MONV-



MONVMENTA LEVCADIS, CEPHALLENES, ET THESSALONICAE.

NVM. I.

1



E Leucade 1759.

NVM. II.

2

ΙΟΥΛΙΑ

ΑΛΕΞΑΝ

ΔΡΑ[illegible]ΕΤΩΝ

Ξ Θ[illegible]ΧΑΙΡΕ

E Leucade 1759.


NVM. III.

3



Long. P. R. 2. 4 ½ E Leucade 1759.

NVM. IV.




E Leucade 1759.

NVM. V.

NVM. V.


5



E Cephallenia Ins. 1754.

NVM. VI.

6



E Cephallenia Ins. 1754.

NVM. VII.


7



E Theſsalonica 1753.
Alt pal. R. 6 2

NVM. VIII.

8



E Theſsalonica 1754.

§. III.

§. III.

AD MONVMENTA LEVCADIS, CEPHALLENES, ET THESSALONICAE.

COMMENTARIVS

Levcadis

NVM. I. Λεόντιον . Αισχύλε . Δαμοξένα . Χαίρετε .
Leontium . Aeſchyle . Damoxena . Salvete .

NVM. II. Ιέλια . Αλεξάνδρα . ἐτῶν . ξθʹ . χαῖρε .
Julia. Alexandra. Annorum. 69. (Dii. tibi. bene. faciant.)

NVM. III. Σωσικράτει . Χαῖρε .
Soſicrati . (heic tumulato) *bene . eveniat .*

NVM. IV. Πεισιτέλης .
Piſiteles (hic quieſcit)

LEVCADA continuam veteres habuere coloni
Nunc freta circumeunt . . . .

Scilicet peninſula antiquitus fuerat Acarnaniae connexa; ἐστι δὲ νῦν νῆσος τὸν ἰσθμὸν ἀποτεταφρευμένη, *nunc vero inſula eſt, iſthmo perfoſſo*, ut ait Scylax Cariandenſis [1]; Fretum tamen ponte junctum fuiſſe, tradit Strabo [2]. Λευκάδα, & Λευκάδιαν diſtinguit perſpicue Thucydides [3], priori quidem nomine oppidum appellans, altero vero Inſulam; qua diſtin-

1 *Geograph. Min. l. c.*
2 *Lib.* x.
3 *Lib.* III.

diſtinctione uſi ſunt Plinivs [1], & Mela [2], Straboni tamen [3], & Floro [4] inſulae, oppidique idem eſt nomen **Λευκὰς**. Quum autem incertum plane ſit, an locus, ubi haec marmora effoſſa fuerunt, in urbis ambitu, pomoeriove contineretur, liberiori *Leucadis* vocabulo uſus ſum, quo oppidum, inſulamque a probatiſſimis ſcriptoribus noveram poſſe deſignari. Nihil dicam de Leucadis nobilitate, quae ex eo maxime proditur, quod, docente Livio, Acarnaniae univerſae caput exſtiterit, eoque in Concilium omnes populi convenirent [5]. Nihil de celebritate **ΛΕΥΚΑΔΙΩΝ ΑΓΩΝΩΝ**, quorum memoriam urbis illius monetae conſignata legitur [6]. Nihil de Apollinis Leucadii templo [7], cujus ſumma fuit religio, atque fama. Sed haec certe palam faciunt, inclytae admodum gentis heic a nobis monumenta proferri; quae tanto aequius exiſtimationem, pretiumque ſibi vindicant maximum, quanto minus ſaepe eruditas Leucadiae reliquias in antiquitatum collectaneis reperire datum eſt.

Celebre, & in antiquis cognitiſſimum mulieris nomen in priori epigrammate offenditur, *Λεόντιον*, *Leontium*; eo quippe appellabatur inſignis illa Epicuri pellex, cujus eruditionis, cultiſſimique ſtyli meminit Cicero. *Sed meretricula etiam Leontium contra Theophraſtum ſcribere auſa eſt, ſcito quidem illa ſermone, & Attico: tantum Epicuri hortus habuit licentiae* [8]. Quid vero exiſtimandum ſit de Leucadia femina, cui ſimiliter hoc mollioris, blandiorisque ſoni nomen inditum fuit, ex Etymologo condiſci poterit. **Πολλὰ τοιαῦτα παίζεται ἐν κωμῳδίᾳ, μέχρι καὶ αὐτῶν τῶν ὀνομάτων καὶ μάλιστα εἰ τύχοι ἑταιρῶν προφέρεσθαι ὀνομάτα ὡς ἡ Κλω-**

1 *Lib.* IV. *cap.* I.
2 *Geograph. lib.* II. *cap.* III. *&* *cap.* VII.
3 *l. c.*
4 *Lib.* IV. *cap.* XI.
5 *Lib.* XXXIII. *cap.* XII.
6 Goltzivs. *Inſul. Graec. tab.* I.
7 Thvcydid. *l. c.*
8 *De Nat. Deor. lib.* I. *cap.* XXXIII.

ἢ Κλωνάριον, καὶ Μυσάριον, καὶ Λεόντιον, καὶ τὰ τοιαῦτα, *multa talia per ludum effinguntur in Comoedia, etiam in nominibus, & maxime ſi occurrat efferre nomina meretricularum, ut Clonarium, Muſarium, Leontium, & alia ejuſmodi* [1]. Aliqua certe huic mulieri cum *Aeſchylo* & *Damoxena* interceſſit affinitas, ut inſimul tumularentur, ſed eam latere poſteros voluit epigraphes auctor.

Quae inſequuntur Leucadiorum hominum ſepulcra non pluribus communia, ſed uni, vel alteri ſejunctim dedicata fuerant. In quibus duo juverit obſervaſſe; ſcilicet novam litterae Ξ figuram (*Num. II.*), quam hoc flexu Ƨ deformatam in vetuſtis marmoribus nuſpiam me deprehendiſſe memini; atque illam boni ominis apprecationem χαῖρε formulam eſſe, cujus grammaticalem cum praecedenti caſu copulationem ſaepe fruſtra requiras, quippe quae etiam poſt exactam omnem orationem ſolitarie adſcribi conſuevit, ut in eo, qui mox inſequitur, lapide.

1 In v. Ὑποκοριστικὸν.



E Nicopoli 1759.

CEPHALENES

NVM. V.	τὸ . σῆμα . τοῦτο	*Hoc . ſepulcrum*
	Ποπλίου . Βειβίου	*Publii . Vibii*
	αἰακτὸς . ἄλοχος	*Lamentabilis . uxor*
	Ουλπια . Αγουσια	*Vlpia . Aguſia*
	ἐτῶν . λζ'.	(extruendum curavit)
	χαῖρε .	*annorum* . 37.
		(tumulatus eſt) . *Have* .
NVM. VI.	Σαβεῖνος	*Sabinus*
	Σαβείνου	*Sabini*
	υἱός . ἐτῶν . να'	*Filius . annorum* . 51.
	χαῖρε .	*Bene . quieſcat* .

Brevi maris intervallo a Leucadia disjungitur. adjacetque Peloponneſo Cephallenia , quae **Σάμη** , & *Epirus Nigra* antiquis dicta eſt [1] . Inſignem Inſulae illius lapidem jam protulimus in priori hujus operis parte [2] ; cui nunc geminos adnectimus ſepulcrales titulos . In primo epitaphio digna obſervatu ſunt tum verborum compoſitio, tum ipſa ſcripturae ratio . In duo **κόμματα** , & **κῶλα** diſſolvenda oratio eſt , ut commodus ſenſus exſculpi queat , quem nos cunctabundi , periclitandoque inveſtigavimus. Prima quidem pars quatuor prioribus verſibus , altera poſtremis duobus videtur eſſe comprehenſa . Principio cujus gratia , & a quo nam ſepulcrum (quod Homerico , ac Thucydideo verbo **σῆμα** appellatur) exſtructum fuerit , enarratur : qua narratione abſoluta , Publio Vibio ibidem tumulato bene eſſe acclamatur . Sed difficilis , qui injicitur , nodus totus jacet in ambigua tertii verſus orthographia . Mirum ſane eſt , lapicidam in tam brevi litterarum , verborumque deſcriptione **τὸ σῖγμα** tum lunata forma C , tum vetuſtiore alia Σ , quae in Deliaca [3] , Sigeaque

1 Vid. Palmerium *Graec. Antiqu. lib.* IV. *cap.* XXIV.
2 *§.* V. *pag.* 94.
3 Montfauconius *de ortu , & progreſſu Graecar. Litterar. l.* II. *c.* I.

que inſcriptione [1] occurrit, promiſcue effinxiſſe. Quid tamen ſibi non licere paſſi ſunt ſepulcralium marmorum deſcriptores? Neque ob eam inconſtantiam ullum illatum eſt inſcriptioni vitium. Culpae potius vertendum illi eſt, quod vocem induxerit depravatiſſimam, cui nulla ſubſit ſignificatio. Nam initio tertii verſus ſive **ΔΙΑΤΟΣ**, ſive **ΑΙΑΤΟΣ** (incerti enim ſunt primi elementi ductus) legeris, ex neutro ſenſus elici poteſt; ut evidens proinde ſit, *σφάλμα* irrepſiſſe, vocemque *ἄσημον* neceſſario eſſe refingendam. Jam vero quum omnium judicio id genus emendationes eo probabiliores evadant, quo paucioribus conſtant verbis, ex gemino dubiae lectionis verbo, rejecto **ΔΙΑΤΟΣ**, ſumptoque **ΑΙΑΤΟΣ**, quod levi negotio redintegrari poteſt, ut aliquid ex Graeci idiomatis legibus ſignificet, ſuffectoque uno **K**, quod ab artifice per oblivionem, aut oſcitantiam facile praeteriri potuit, reſtituendum crediderim, **ΑΙΑΚΤΟΣ**; quae quidem vox infeliciſſimae, deplorandae, luctuque dignae Conjugis moerorem plane demonſtrat. Quo in loco ſi ſcalptor **ΑΙΑΚΤΟΣ** ſcripſit pro **ΑΙΑΚΤΗ**, fortaſſe non improvide id fecit, nec erratum, quibus caeteroqui ſcatent tituli necrologici, admiſit, ſed loquendi genus Atticis, aeque ac Dorienſibus uſitatum retinuit. Aliae quidem menti ſuccurrebant huc inferendae emendationes; verum litterae Ϛ nova, inſuetaque tribuenda fuiſſet poteſtas, cujus nullum in tota antiquitate ſuppetebat exemplum, majoreſque adhuc ſalebrae praetendebantur. Qui meliora conjecerit, hunc vatem perhibebo maximum.

In *Sabini* titulo conſideranda nota numerica, quae quum duabus litteris conſtet, decadem procul dubio excedit. Si prior illarum fuerit **H**, qua littera *ἑκατὸν* deſignatur, addita nota unitatis **A**, Sabini aetas emerget annorum 101. Verum ſi *ἑκατονταέτης* is fuit, miror de longaevitate ipſius poſteros nequaquam moneri in iſcriptione; ſiquidem hoc *μακροβίων* hominum genus a Graecis etiam prodi-

 gii

1 CHISHVL. *Antiquit. Aſiatic.*

gi inſtar iis temporibus habebatur [1]. Atqui quum hoc in lapide inelegans plane ſit characterum deformatio, atque in H lineola tranſverſa aliquantum obliquetur, potius pro N accipi debere exiſtimo, ideoque defuncti aetatem in annos να΄, ſcilicet 51. retrahi oportere.

THESSALONICAE

NVM. VII.	Δῶρος ὁ . Πολυχά- ρμου . τρόφ- ιμος . ἐνθ- άδε .	*Dorus* *Polycharmi* *Verna* *hic* *ſitus . eſt .*
NVM. VIII	Καλέστερος . Μακεδό- νι . καὶ Σωσιγενίᾳ τοῖς . γλυκυτάτοις γονεῦσιν . τὸ . κοιμη- τήριον . ἕως . ἀναστά- σεως .	*Calisterus . Macedo-* *ni . & . Soſigeniae* *dulciſſimis* *parentibus . locum . dor-* *mitionis . uſque . ad* *reſurrectionem* (paravit .)

Tzetzes primordia Theſſalonicae deſcripturus, ſic ait [2]:

> Ἡ νῦν Θεσσαλονίκη μὲν, πόλις ἡ λαμπροτάτη,
> Ὑπῆρχε κώμη, Θέρμη δὲ τὸ κλῆσιν ἐκαλεῖτο.
>
> *Quae nunc eſt Theſſalonica, urbs praeclariſſima,*
> *Vicus olim fuerat, & Therma appellabatur.*

Quare ſinus, in cujus extrema ora, intimoque receſſu urbs poſita, *Thermaicus* [3], atque *Thermaeus* [4], immutato etiam civitatis nomine, dictus eſt. Auctor novi nominis nonnullis Caſſander eſt [5], aliis Philippus Amyntae filius [6]. Illuſtris re-

vera

1 Vid. Phlegontem Trallianum *de longaevis*. Inter Opuſc. Graec. Meursii.
2 *Chiliad.* x *cap.* CCCXVI.
3 Mela *lib.* II. *cap.* III.
4 Tacitus *Annal. lib.* v. *cap.* x.
5 Strabo, & Tzetzes.
6 Stephanus B. v.

vera ea mihi ſemper urbs erit, quod ſummo viro M. T. Ciceroni maximis, & miſerrimis rebus perturbato, & per factionem Clodianam Roma, Italiaque pulſo domicilium ſeptem menſibus praebuerit, unde animo ſuſpenſus, moeroreque preſſus Terentiae ſuae [1], Atticoque [2] ſcribebat. Validam, populoſam, opumque omnium divitem, Imperatoribus caram, atque pinguiſſima in regione ſitam fuiſſe, manifeſtant nummi **ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ** urbis imagine turrita, Victoria, Prora navis, Equis, Capris ſubſilientibus, aliiſque potentiae, fertilitatiſque ſymbolis diſtincti, atque Julii Caeſaris, Auguſti, Caii, M. Antonii, Tiberii, Druſi, Neronis, Elagabali, M. Aurelii, Caracallae, Severi Alex., Gordiani effigie inſigniti [3]. Sed feliciori adhuc nomine **λαμπροτάτη** ea dicenda eſt, quod indefatigabilis ille divini verbi ſator, & teſtis PAVLVS Theſſalonicenſes Chriſtiani nominis ignaros, omnique ſuperſtitione, & errore imbutos ad verum Dei cultum converterit, & JESV CHRISTI imperio addiderit [4]. Celebris exinde evaſit in prima Macedoniae provincia [5] Theſſalonicae Eccleſia, cujus Epiſcopi Sardicenſi, atque Chalcedonenſi Concilio ſubſcripſiſſe reperiuntur. Duplicem hanc urbis illius laudem memorare libuit, quandoquidem binas illinc Venetias devectas inſcriptiones damus, Ethnicam alteram, (*Num.* VII.) alteram Chriſtianam (*Num.* VIII.). Affinis utriuſque orthographia deprehenditur, ſi duarum litterarum **O**, & **Σ**, nexum intueare, etſi **ὀ μικρὸν** ſuetam curvationem retineat Œ, in altera quadratam, & angularem formam refert Œ, quam qui-

1 *Epiſt. familiar. lib.* XIV. *ep.* II.

2 *Ad Attic. lib.* III. *ep.* VIII. IX. *&c.*

3 WILDE *Numiſmat. Antiq. tab.* XII. *& ſequent.*

4 *Actorum Apoſtol. cap.* XVII.

5 Merito CL. HOLSTENIVS vitio vertit CAROLO A S. PAVLO, quod duas Macedoniae provincias minime diſtinxerit, quandoquidem unaquaeque ſuos habuit peculiares Epiſcopos. *Adnot. ad Geograph. ſacram. In Patriarchatu Romano* §. *Provincia Theſſalonicenſis, ſeu Macedoniae.* HOLSTENIO praeeunte diſtinxit BINGHAMVS *Origin. Eccleſiaſticar. lib.* IX. *cap.* IV. §. VII.

quidem configurationem rurſum exhibet *ὠ μέγα*, quod ſic conſtanter pingitur Ԝ · ԜΣ· Vocem illam *τρόφιμος* in Ethnico lapide malui vertere *Verna*, quam *Alumnus*. Variam eſſe hujus vocis ſignificationem ſane non me praeterit; *τρόφιμος* quippe dicebatur, qui ab altero domi alebatur, ut fuit Euripides ab Anaxagora ſeniore tecto exceptus, victuque nutritus, qui idcirco ab Alexandro Aetolo apud Gellivm [1] *Ἀναξαγόρου τρόφιμος ἀρχαίου* appellatur. Hesychivs [2] vero ait hoc nomine *δεσπόσυνον*, ſive *filium herilem* nuncupari conſueviſſe. Demum *τρόφιμον* rectiſſime reddi *Vernam* docent accuratiores lexicographi. Igitur quoniam *Δῶρος* ſervi nomen apud Graecos erat, Vernarumque frequens in inſcriptionibus mentio injicitur, is mihi fuiſſe videtur

Verna miniſteriis ad nutus aptus heriles.

Hujus autem ſepulcri ſpecies *στηλοειδὴς* non ad Sicyoniorum formam accedit, ſed potius priſcam illam Hebraeis, Graeciſque communem configurationem refert. Judaei enim licet viris origine, opibus, dignitateque inſignibus ſepeliendis aedificium quandoque paraverint magnitudine, & celſitate ſua procul aſpectandum, atque etiam columnis, pyramidibus, emblematis, varioque marmore diſtinctum [3]; plerumque tamen defunctorum memoriae conſervandae, uti ab Hottingero [4], Nicolai [5], Lakemachero [6] animadverſum eſt, nonniſi cippum, ſive columellam tumulo imponendam deſtinabant. Ad Graecos quod attinet, ex Homero manifeſto colligitur, a Troicis uſque temporibus uſitatam admodum fuiſſe hanc ſepulcrorum formam. Namque magnilo-

1 N. A. *lib.* XV. *cap.* XX.

2 *Lex. h. v.*

3 Ejuſmodi fuit ſepulcrum, quod Simon Fratribus, parentibuſque ſuis in oppido Modin magnifice excitari curavit. *Macchab. lib.* I. *c.* XIII. Vid. Josephvm *Antiquit. Jud. lib.* XIII. *cap.* VI.

4 *Cippus Hebr.*

5 *De ſepulcris Hebraeor. lib.* IV. *cap.* I. & II.

6 *Obſervationum Philologicar. Part.* VIII. *obſerv. ad Eſaiae* LIII. 9.

gniloquus ille hiſtoriarum parens, ut Aeacidas equos poſt Patrocli mortem immotos ſubſtitiſſe demonſtraret, illos nequicquam ſcutica, voceque in curſum urgente Automedonte, hac eſt uſus comparatione [1].

> Ἀλλ' ὥστε στήλη μένει ἔμπεδον ἥτ' ἐπὶ τύμβῳ
> Ἀνέρος ἑστήκει τεθνηκότος, ἠ γυναικὸς,
> Ὡς μένον ἀσφαλέως περικαλλέα δίφρον ἔχοντες.

> *Sed veluti cippus manet firmiter, qui ſuper tumulo*
> *Viri ſtat mortui, vel mulieris,*
> *Sic manebant immote perpulchro currui juncti.*

Quare Sarpedonis [2], & Ili Dardanidae [3] tumulo στήλην fuiſſe adjectam dixit. Recte ne vero a nonnullis ſcriptoribus etiam Apharei Idae Patris ſepulcrum στηλοειδέσιν adnumeretur, omnino dubium mihi eſt; Lycophron enim ſuperpoſitum illi exſtitiſſe ait ἄγαλμα [4]: quae vox de *ſimulacro*, non de *columna* accipi debet. Equidem Theocritus *Idyl.* κβ'. Idae facinus narrans, quum hic Meſſeniorum fortiſſimus ſaxum e patris ſepulchro evulſit, ut eo in Pollucem Lyncei interfectorem ſtrenue injecto, fratris necem ulciſceretur, aliam uſurpavit vocem:

> Ἠ γὰρ ὅγε στάλαν Ἀφαρηΐου ἐξανέχουσαν
> Τύμβῳ ἀναῤῥήξας ταχέως Μεσσάνιος Ἴδας
> Μέλλε κασιγνήτοιο βαλεῖν σφετέροιο φονῆα.

Verum ſi multiplex vocum ſignificatio bene penitus expendatur, differentia, quae nonniſi ſpecie tenus offenditur, nullam prorſus inter hunc Siculum Poetam, & Lycophronem indu-

---

1 *Iliad.* P. v. 434.
2 *Iliad.* Π. v. 675.
3 *Iliad.* Λ. v. 371.
4 *In Caſſandra* v. 557.

inducit opinionis, ſententiaeque varietatem. Siquidem vox στήλη, vel Dorice στάλα, etſi ut plurimum columnam, cippum, lapidemque e terra exſtantem denotet, rectiſſime tamen PHILOXENI [1], aliorumque περὶ γλωσσῶν ſcriptorum judicio, *ſtatuam*, *ſimulacrum*, *effigiem* indicat. Itaque quum hic THEOCRITI locus utrumque ſignificare queat, eo potius ſenſu reddi debet, quo cum LYCOPHRONE conſentit. Sed quorſum haec ego conſector, conciliandiſque auctoribus allaboro, quum PINDARVS Apharei ſepulchri formam ita definite deſcripſerit, ut nullum ambigendi locum fecerit reliquum? Eam igitur pugnam referens ait [2]:

> *ἔνθεν ἁρπάξαντες ἄγαλ-*
> *μ' Ἀΐδα, ξεστὸν πέτρον*
> *ἔμβαλον στέρνῳ πολυδεύ-*
> *κεος.*

> *Vnde quum* (Apharetidae) *corripuiſſent ſtatuam Plutonis ex ſcalpto lapide* (confectam)
> *Projecerunt in pectus Polluca.*

Quae ſtatua quoniam marmore ξεστῷ conſtabat, diſſimilis profecto erat ab illis impolitis, rudibuſque Deorum ſignis in columnae formam ineleganter aſſurgentibus, quorum alias meminimus [3]. Ergo Apharei ſepulcrum ex στηλοειδῶν claſſe extrudendum eſt, atque Heroicis illis veterrimis accenſendum, quibus ſimulacrum adiici coepit. Viderat id EOBANVS, qui idcirco memoratos THEOCRITI verſus metrice ſic vertit [4].

> *Nam patris e tumulo exſtantem Meſſenius Idas*
> *Corripiens ſtatuam fuit emiſſurus in hoſtem*
> *Auctorem necis, atque ulturus funera Lyncei.*

Sed

---

1 *Gloſs. Veter.*
2 *Nemea Ode* x. *v.*125.
3 *Parte* I. §. IV.
4 In ſua Theocriti editione.

Sed jam de Chriſtiano marmore, cujus maxima ſe ſe prodit praeſtantia, ſermo eſt inſerendus. Itaque CALOCERVS locum ſepulturae parentibus ſuis dulciſſimis paraſſe inibi dicitur. Placuit Chriſtianis, qui vitam aliquando redivivo corpori divina virtute reſtituendam pro certo habebant, ſepulcra requietoria, & dormitoria *κοιμήτρια* appellitare, ut hoc nomine jugiter de *Reſurrectione* monerentur, intelligerentque corpora illuc inlata ſomno potius, quam morti eſſe data. Rem paucis, graviſſimiſque complexus eſt verbis JOHANNES CHRYSOSTOMVS. *διὰ τοῦτο καὶ αὐτὸς ὁ τόπος κοιμητήριον ὠνόμασαι ἵνα μάθῃς ὅτι οἱ τετελευτηκότες καὶ ἐνθαῦτα κείμενοι οὐ τεθνήκασιν, ἀλλὰ κοιμῶνται καὶ καθεύδουσι*, *propterea ipſe etiam locus* (ſepulturae) *coemeterium appellatum eſt, ut diſcas, mortuos, & hic repoſitos non eſſe mortuos, ſed dormire*[1]. Fuerant olim coemeteria areae ſacro ritu conſecratae, muro clauſae, templiſque adjacentes[2]. Sed quoniam Chriſtianos adverſis his temporibus, quibus ad mortem exquiſitiſſimis ſuppliciis a Tyrannis quaerebantur, in *κοιμητήρια* ut latenter orarent, ſacriſque operarentur, conveniſſe legimus[3], ſequitur cryptas, hypogeoſque tum fuiſſe ab hominum oculis, conſpectuque remotos. Atque his locis major quaedam acceſſit religio, ex quo fortiſſimi illi Chriſtianae legis teſtes, qui in cauſſa fidei animam conſtantiſſime profuderant, illic condi, tumularique coeperunt; unde coemetria *μαρτύρια*[4], *Martyria* dicta fuerunt. Incertum mihi plane eſt, ubi revera MACEDONI, & SOSIGENIAE *κοιμητήριον* a CALOCERO exſtructum fuerit. Si antequam Theſſalonicae dira exardeſceret perſequutio, aut reddita Eccleſiae pace id evenit, ſimile vero eſt, in patenti area illorum corpora fuiſſe terrae mandata. Verum ſi accidit afflictis Eccleſiae rebus, dumque ma-

1 *Opp. tom.* V. *Homil.* LXXXI.

2 Vid. NICOLAI *de luctu Chriſtianorum cap.* IV.

3 Legeſis orationem Aemiliani Aegypti Praeſidis ad Dionyſium Epiſcopum, Clerumque Alexandrinum apud EVSEBIVM CAESARIEN. *Hiſt. Eccleſ. lib.* VII. *cap.* X.

4 *Concil. Laodicenum can.* IX.

la omnia Chriſti cultoribus, non modo in Imperii ſede, ſed in provinciis impenderent (ubique enim locorum, quae in ditionem Romanorum venerant, Imperatorum edictis acriter ſaevitum eſſe, memoriae traditum eſt) [1], tum in ſubterraneo aliquo ſpecu, cryptave condita procul dubio fuerunt. Vt ut de ea re ſit, requietorium a Calocero paratum loculus fuiſſe videtur, cui parentum ſuorum memoriae perpetuandae cauſſa epigramma marmori inſcriptum is de more adpoſuit.

Spem itaque futurae reſurrectionis illis maxime formulis adumbratam voluere primaevae Eccleſiae alumni: *dormit*, *dormiens*, *ad dormiendum &c.*, quae paſſim in aevi illius marmoribus, tituliſque occurrunt; & ne prolixam inſcriptionum recenſionem importunus obtrudam, adiri jubebo Cl. Mamachivm, cui ob ſumma in Chriſtianam hiſtoriam merita tantum laudis dare me debere intelligo, quantum alteri cuiquam illuſtrium harum rerum ſcriptorum dandum cenſuerim [2]; a quo uberrime, docteque eſt id pertractatum. At neſcio an alibi umquam ſic expreſſe, citraque omnem ambiguitatem vox **ἀνάστασις** in priſcis Chriſtianorum monumentis offen-

---

1 Etſi omnia propemodum, quae de *Decem Perſequutionibus* in Chriſtianos publica auctoritate concitatis ſive in Patrum ſcriptis, ſive in antiquorum libris tradita reperiantur, accurate recenſuerint, tum Eccleſiaſticae hiſtoriae enarratores, tum alii Scriptores, ut Vossivs *de edictis Imperator. contra Chriſtianos*, Baldvinvs *ad edicta veterum Principum de Chriſtianis*, Gallonivs *de Martyrum cruciatibus*, Meisnervs *de Perſequutionibus, & Martyriis Chriſtianorum*, Kortholtvs *de Perſequutionibus Eccleſiae primaevae, ſub Imperatorib. Ethnicis*, aliique, quos ennumerat Fabricivs *in Luce ſalutari Evangelica cap.*VII.; nemo tamen diligentius, atque eruditius hanc ſpartam adornavit, quam inſignis noſtra tempeſtate antiquitatum Chriſtianarum multo peritiſſimus, idemque politiſſimus deſcriptor, Thomas Mamachivs *Originum, & Antiquitat. Chriſtianarum lib.*I. *c.*VIII. Ex his autem ſcriptoribus liquido apparet, Ethnicos ubique terrarum Chriſtianos acerbe eſſe inſectatos: quocirca nil mirum eſt, ipſam Theſſalonicam Eccleſiae faſtis amplificandis, nobilitandiſque ſuos Martyres addidiſſe.

2 In mox laudato Opere *lib.*III, *cap.*I. §.III.

offendatur, ut merito lapis Theſſalonicenſis velut ſingulare hujus dogmatis, fideique teſtimonium haberi queat. Non ſum ego inſciens, duo eſſe marmora in quibus *Reſurrectionis* mentio continetur, Graece alterum, alterum Latine exaratum. Vtrumque examinandum, corrigendum, exponendumque ſuſcepit vir omnibus ingenii, & ſapientiae praeconiis jure cumulandus ED. CORSINVS [1]. In Graeco quidem mulier *Irene* nomine, quae obierat poſt v. Valentiniani, & Anatolii Conſulatum, dicitur:

ΕΤΑΥΗ. ΗΜΕΡΑ. ΠΑΡΑCΚΕΥ. ΚΑΙ. ΑΝΑCΤΑ..
ſic
ΕΝ. ΤΗ. ΗΜΕΡΑ. ΧΡΙCΤΟΥ. ΕΧΑΜΕΝΟΥ.

Sed jamdudum viderunt REINESIVS [2], FLEETVOODVS [3], MVRATORIVS [4], ipſeque CORSINVS plurimum depravatam, incertamque eſſe inſcriptionem, ac in omnibus propemodum verſibus aliquid refingi oportere, ut ad Irenes reſurrectionem perſpicue, nitideque referri queat; atque imprimis pro **ΕΧΑΜΕΝΟΥ** legendum eſt δεξαμένης, vel rectius εὐχαμένη, ut commodus exiſtat ſenſus: *tumulata in die Paraſceves, & reſurrectionem in die Chriſti rogans*. Quare ambiguo, vitiatoque prorſus monumento, & dubiis unius vocis reliquiis tota res nititur. Latinus autem lapis a GRVTERO ſic exhibetur [5].

D. M.
AVRELIO. BALBO. QVIETIORIS. PERFECTIORISQVE
VITAE. DESIDERIO. EX. NEGOTIIS. CIVILIBVS
IN. QVIBVS. FVERAT. CVM. LAVDE. VERSATVS
IOVIS. OP. MA. BENEFICIO. DVCTO. HIC. IN. SPE
RESVRRECTIONIS. QVIESCENTI. LOCVS. PVBLICVS. DATVS. EST.

1 *Diſſert.* I. *In append. ad Notas Graecorum*.
2 *Claſs.* XX. 454.
3 *Inſcript. pag.* 518. *num.* I.
4 *N. Theſaur.* CDV. *num.* 4.
5 ML. *num.* 3.

Verum in quorum marmorum cenſu haberi debebit? Chriſtianorum ne, ut viſum eſt SCALIGERO [1]? aut Ethnicorum, quemadmodum CASAVBONO perplacuit? In primam porro claſſem vetat referri quartus verſus; nuſquam enim Chriſtianus homo dixiſſet perfectioris vitae deſiderio ſe teneri ex *beneficio Jovis optimi maximi*, cujus infandum nomen in ſuſcipiendo, amplexandoque ſummi, verique Dei cultu ejurare, execrarique debuit. Praeterea quandonam aliqua reſtitutionis corporum ſpes Paganis revera affulſit, ejuſque certa opinio illorum inſedit animis? Quamobrem facile CORSINO meo aſſentiar, qui inſcriptionem ad apocryhas cenſuit eſſe ablegandam. Ergo ſi hactenus ad reſurrectionis ſententiam conſtabiliendam nihil ex litteratis vetuſtiſſimis marmoribus [2], niſi mutila, aut dubia epigrammata exſcribi licuit; prodiit tandem in auras certiſſimum argumentum in lapide Theſſalonicenſi.

Neque vero quicquam movet me NICOLAI ERNESTI ZOBELLII [3] conjectura de *Phoenice* in Ethnicorum monumentis quandoque expreſſa. Namque licet in ſepulcro S. Maximi a beatiſſima femina Caecilia phoenicem depictam fuiſſe tradat CLEMENS ROM. [4], quae corpus illius ad vitam reverſurum obnunciaret; alio certe alludit hujus avis [5] ſymbolum in nummis

---

1 *In Indice Gruteriano.*

2 Nec ſit, qui mihi objiciat Chriſtiana epitaphia, in quibus ſacrae illae formulae leguntur: *Credo quia Redemptor meus in noviſſimo die ſuſcitabit me: Spero quod de terra ſurrecturus ſum: In carne mea videbo Deum Salvatorem meum &c.* Nam ad longe ſequiorem illa pertinent aetatem, nec primaevis Chriſtianorum moribus illuſtrandis ſolent acciri.

3 *Cacozelia Gentilium in tradendis doctrinis de generis humani, mentiſque origine, & reſurrectione mortuorum ex variis hiſtoriarum, atque antiquitatum monimentis commonſtrata.*

4 *Epiſt. ad Corinth. in Epiſt.* R. P. COVTANTII.

5 Condonandum ſane antiquiſſimis Chriſtiani nominis cultoribus, fideique noſtrae interpretibus, ſi ita perſuaſum habuerunt, fabuloſam hanc avem revera exſtare, ut illam quandoque in reſurrectionis teſtimonium adverſus Haereticos arriperent. Conſuleſis *Sculture, e Pitture eſtratte dai Cimiterj di Roma tom.* I. *tav.* XXII. ubi enarrator eruditiſſimus egregie hoc verſat argumentum.

mis quibuſdam cum lemmate *Aeternitas* . Scilicet pertinet id vel ad renovatum feliciter imperium , vel ad reſtauratam dexteris auſpiciis urbem ; perinde ac ſi ita bene conſtitutum ſit regnum , ita mirifice munita civitas , ut neque hanc , neque illud temporum longinquitas diruere , ac labefactare valeat ; aut ſi alterutrum adverſis caſibus concuſſum fuerit, ad modum Phoenicis facile redintegrari poſſit . Quod ſi nonnulli Philoſophorum de Pythagorae , aut Platonis ſchola animas poſt mortem ex uno in alterum corpus migrare dixerunt , diſſimile id prorſus eſt a noſtris dogmatibus , quin imo cum Catholicae doctrinae principiis omnino repugnans [1] . Eſt etiam nonnemo , cui negotium faceſſit illa Aeneae Gazaei ſententia , ex qua liquere videtur , antiquos quoſdam Philoſophos reſurrectioni ſententiam plane perſpectam habuiſſe . ὁ δὲ Ζοροάςρης προλέγει ὡς ἔςαι ποτὲ χρόνος ἐν ᾧ πάντων νεκρῶν ἀνάςασις ἔςαι· οἶδεν ὁ Θεόπομπος ὃ λέγω , καὶ τὺς ἄλλυς αὐτὸς ἐκδιδάσκει . *Zoroaſtres etiam vaticinatus eſt , futurum aliquod tempus , quo omnes in vitam reſuſcitentur mortui : novit idipſum Theopompus , alioſque etiam edocuit* [2] . Ego vero omnem iſtorum doctrinam tam vanis divinationibus , fluxiſque principiis nixam , totque Perſarum , ac Magorum deliramentis conſperſam video , ut mirer quidem ingenioſos Cl. Fenelii conatus in veterum Philoſophorum dictis conciliandis [3] ; attamen illorum reſurrectionem , ex imaginaria quadam rerum omnium reſtitutione , renovationeque expectandam , vanam , ac ludicram eſſe plane intelligam. Illud igitur firmiſſimum ſit , ἀνάςασιν adeo inexploratam Ethnicis fuiſſe , ut cultiſſimi Athenienſes Apoſtolum Pavllvm illam graviſſima oratione renunciantem deriſui habuerint [4] . Vnis proinde Chriſtianis auctor novi foederis , pacis , ſalutiſque aſſer-

1 Conſule Calmetvm *Diſſert. de Reſurrectione Mortuorum in Comment. ep. ad Galatas* .

2 *De Immortalitate animi , & Mortalitate univerſi* .

3 *Memoires de l'Academie des Inſcriptions tom.* XIX. *Sur ce que les anciens Payens ont pensè de la reſurrection* .

4 *Actor.* XVII. *verſ.* 32.

aſſertor e ſepulcro evadens, impoſterum non moriturus, ſuaque divina virtute reviviſcens, primus reſurrectionis inelluctabile argumentum praebuit, certam ſpem injecit, pignuſque exhibuit. Atque ita praecipua, ac propria eſt Chriſtianorum ſpes haec, ut illa adempta, atque de medio ſublata, funditus ſanctiſſima Chriſti Religio evertatur; quamobrem praeclare de ea promeriti ſunt HVETIVS [1], ABBADIE [2], HOVTTEVILLIVS [3], LIMBORKIVS [4], CVDWORTVS [5], WEREMFELSIVS [6], PEARSONIVS [7], OTTINGERVS [8], GVRTLERVS [9], VARENIVS [10], VESSELIVS [11], DITTONVS [12], SKERAKIVS [13], NIEWENTYTIVS [14], WINDETVS [15], COLLERVS [16], aliique, qui in Reſurrectionis veritate a fallacibus, impiiſque criminationibus vindicanda ſtrenuam, egregiamque operam impenderunt ſuam.

Poſtquam Calocerus parentum, atque ſui ipſius fidem in hoc lapide apertiſſimis verbis profeſſus fuit, ſymbolum etiam infra epigramma adjecit, quo magis pro veteri, frequentique more illam teſtatur. *Piſcem* nempe exculpi fecit: quo quidem ſymbolo veteres Chriſtiani ne dum templorum parietes, ſed urnas ſepulcrales, lucernas, anulos, omnemque fere ſupellectilem diſtinxerunt, atque ornarunt, quandoquidem, teſtibus ANASTASIO SINAITA [17], TER-

1 *Demonſtr. Evangel. Prop.* IX *cap.* CLXII.
2 *Traitè de la Religion Chretienne* P.II. *ſect.*III. *chap.*III.
3 *La Religion Chretienne prouvée par les faits liv.*II. *chap.* XIII.
4 *Collatio cum Judaeo erudito.*
5 *Serm. in* I. *ad Corinth.*
6 *Sermons ſur la veritè de la Religion.*
7 *Ad Symbol. Apoſtol.*
8 *De veritate Religionis Chriſti.*
9 *De Chriſto in gloriam evecto.*
10 *De Chriſto a mortuis reſuſcitato.*
11 *De verit. Reſurrectionis Chriſti.*
12 *De la Reſurrection de J. C.*
13 *Les temoins de la Reſurrection de J. C. examines.*
14 *L' Exiſtence de Dieu demontrée &c. Livre* III. *chap.*VI.
15 ΣΤΡΩΜΑΤΕΥΣ ΕΠΙΣΤΟΛΙΚΟΣ *de vita functorum ſtatu.*
16 *Veritè de la Reſurrection.*
17 *Bibliotb. Patrum tom.* I. *in Examer.*

Tertvlliano [1], aliiſque antiquis Patribus, ſe ipſos *Piſciculos* nominabant: appellatione non ab Ethnicorum calumniis orta, ſed a myſtica diſciplina hauſta, atque deducta. In quo ſymbolo explicando non eſt cur diutius ſtudium conferam; hoc enim labore eximie perfunctus eſt Cl. Costadonvs [2], cujus maxima in ſacris antiquitatibus interpretandis doctrina concordi eruditorum ſermone celebratur, amicitia vero eſt mihi ſuaviſſima. Eſt denique conſideranda orthographiae ratio in conjunctionis particula καὶ, quae hic effertur per **KE**; cujus caeteroquin moris cum in Ethnicis, tum Chriſtianis marmoribus permulta proſtant exempla [3].

§. IV.

1 *De Baptiſm. cap.* I.

2 *Diſſertazione ſopra il Peſce come ſimbolo di Gesù Criſto preſſo gli antichi Criſtiani.*

3 V. Placentinivm *de Siglis Veterum Graecorum pag.* 73.



E Dalmatia Alt. nal. F. 1·3.

§. IV.

SEPVLCRA ANAGLYPTICA EMBLEMATIS, IMAGINIBVSQVE DISTINCTA.

NVM. I.



Alt:pal:R. 4.

NVM.


NVM. II.



NVM. III.



NVM. IV.



NVM. V.



NVM. VI. VII.



NVM. VIII.



Piſauri in Muſeo Oliverio.

INSCRIPTIONVM EXEMPLAR GRAECO-LATINVM.

(1)	
Ἑρμιόνη . Πολυκράτους	*Hermiona. Polycratis* (filia)
Ἥγιος · δὲ . γυνὴ . ἀλύπη	*Hegis . vero . uxor . expers*
Χρηστὴ . χαῖρε .	*moleſtiarum . Anima*
	Innocens . fruere . felix .
(2)	
Ἡρακλέων . ϗ . Ἐπαφρας	*Heracleon . & . Epaphras*
Εὐγενείᾳ . χρηστὴ . χαῖρε .	*Eugeniae* (matri fecerunt .)
	Have . optima .
(3)	
Φιλουμένη . Διοφάντου	*Philumena . Diophanti*
γυνὰ . χρηστὴ . χαῖρε .	*uxor . probiſſima . valeas .*
(4)	
Ἡ . Πωλλα κ . . .	*Polla C.* . . . . .
Λουκίο	*Leucii* . (filia) . .
Λουκίου	*Leucii* . (uxor) . . .
. . . .	(ſalve .)
(5)	
Μηνοδότη · χρηστὴ . χαῖρε .	*Menodote . inculpata*
	bene . quieſcas .
(6)	
Παρήσια . Προτάρχου .	*Pareſia . Protarchi* . (filia)
(7)	
Πρόθυμος . χρηστὸς . χαῖρε .	*Prothymus . fruoi . homo*
	aeternom . vale .
(8)	
Ἀπολλώνιε . Ἀπολλωνίου	*Apollonie. Apollonii* (fili)
Ἡράκλειε .	*Heracliensis .*
Ἀπολλώνιε . Νικόλαου	*Apollonie . Nicolai* (fili)
Ἡράκλειε .	*Heracliensis .*
Χρηστοὶ . χαίρετε .	*Viri . egregii . ſalvete .*

AD

Ad Sepvlcra Anaglyptica

COMMENTARIVS

NVM. I.

QVae hactenus protulimus ſepulcralia monumenta, nonniſi nudos titulos oſtentant, quibus explicandis tantum operae contulimus, quantum vel orthographiae ratio, vel ipſa epigraphes ſententia poſtulabat. Accedimus jam ad anaglyptica, quae quum non inſcriptionibus modo, ſed imaginibus, atque emblematis perornentur, uberiorem dicendi praetendunt ſegetem. Itaque non ſolum luxata, hiulca, vel perplexa epigrammata refingere, ac reſtituere curabo, ſed quid ſymbola in unoquoque praeſeferant, ex Ethnicorum θεολογουμένοις elicere conabor. Vt autem a priori initium capiam, primum inſcriptionis verſum ſic vitiavit, oblitteravitque aera potis abolere vetuſtas, ut difficile ſit certum illius ſenſum e veſtigio expromere. Quis tamen his ſtudiis vel leviter deditus ambigat, nomen illius Feminae, quae in ſecundo verſu *Hegis uxor* exſtitiſſe dicitur, inibi fuiſſe deſcriptum? Quia vero vox illa γυνὴ, quae, ut aiunt, *relativa* eſt, conjunctionis particula δὲ afficitur, neceſſe plane eſt, alterum praeceſſiſſe ejus generis adjunctum: ſolet autem illud per Patris nomen efferri. Itaque certiſſimum videtur, duo nomina, mulieris videlicet, patriſque ipſius eſſe reſtituenda. In quo caeteroquin, ſi quid audendum, conjecturis liberius indulgere fas erit; quis enim ex his vocum laciniis, diſſipatiſque litteris illa tuto eruere poſſe ſpondeat? Ego equidem, ut quae ſuperſunt elementa in utroque retinerem, in primo nempe **ION** ..., in altero vero **ΚΡΑΤ** ..., eaque cum aliis ita apte ſuffectis copularem, ut ea nomina cum priſcis, & uſitatiſſimis conſentirent, & ſpatio adamuſſim implendo forent accommodata, integrum verſum

verſum periclitando, divinandoque ſic refingi poſſe exiſtimavi.

ΕρμΙΟΝη . πολυΚΡΑΤȣς .

Quod ſi in mutila voce **ΗΓ..ΟΞ**, una littera interjecta, altera facile integrata, legendum duxi **ΗΓΙΟΣ**; non pro ingenio feci, ſed ipſum vocis ſonum, & characteris reliquias, ductuſque ſequutus ſum. Quum autem in marmoribus corrigendis, ſupplendiſque, nulla planior, tutiorque via iniri queat, quam ſi ex aliis emendatiſſimis, nullaque ſui parte corruptis exempla repetantur; uſurpatam in ſepulcris dictionem **ΑΛΥΠΗ**[1], nullus haeſitans reſcribendam putavi in ſecundo verſu: cujus quidem vocis perſpicua veſtigia adhuc produnt evanidae litterae **Α Λ . . Π Ι . .** Sane nihil altius haerebat Ethnicorum mentibus, quam inſontes animas, ſcelerumque puras, poſtquam e corporis vinculis evolarant, in tranquilliſſimam ſedem, campoſque beatos migrare[2]:

Τῇ περ ῥηΐϛη βιοτὴ πέλει ἀνθρώποισιν,
Οὐ νιφετὸς, ȣ̓́τ᾽ ἄρ χειμὼν πολὺς ȣ̓́τε ποτ᾽ ὄμβρος.

Vbi facillima vivendi ratio eſt hominibus,
Non nix, neque hyems multa, neque umquam imber

moleſtias, curaſque ingenerat; ubi totum per annum durat aprica dies, ubi demum incolae vitam agunt ἀλύπτην, deliciiſque affluentem[3]. In haec laeta arva, amoenaque vireta pedem citiſſime intuliſſe demortuos conſanguineos, qui

1 *Marmora Arundelliana nov. edit. num.* XVI.

2 *Odyſs.* Δ. *v.* 565.

3 Perpetua illa felicitas, nullis interrupta malis, qua in Elyſiis potiri piorum animae credebantur, a poetis imprimis accuratius deſcribitur. Ne illorum loca huc afferam omnia, adiri jubebo WINDETVM *de Vitae functorum ſtatu ſect.* VII., RABENERVM *de Campis Elyſiis Programma*, POVLSONIVM *de Campis Elyſiis Paganorum Schediaſma*, LAKEMACHERVM *de Campo Elyſio in Meſſenia ſito. Obſerv. Parte* II. *&c.* a quibus ubertim veterum teſtimonia exſcripta, collectaque ſunt.

vitae illorum ſupererant, facile in animum inducebant ſuum: qua ſibi propoſita ſpe a moerore avocabant ſe ſe, luctumque levabant. Hinc in epitaphiis de feliciſſimo in Elyſios adventu, deque ἀλυπία mortuis gratulabantur. Ita ſane Aeliae Primae filiae dulciſſimae acclamat P. Aelius Abaſcantus in elegantiſſimo illius ſepulcrali epigrammate [1].

Καὶ ναίεις μακάρων νήσους θαλίῃ ἐπὶ πολλῇ,
Ἔνθα κατ' Ἠλυσίων πεδίων σκιρτῶσα τε γήθας
Ἄνθεσιν ἐν μαλακοῖσι, κακῶν ἔκτοσθεν ἁπάντων.

Et incolis Fortunatorum inſulas in multa jucunditate,
Ibi in campis Elyſiis paſſim exultas,
Inter dulces flores expers malorum omnium.

In hunc ferme modum Hermionam conjugem alloqui videtur in noſtro marmore Hegius maritus, cui etſi acerbiſſimus acciderit uxoris interitus, attamen adeptae ab illa ἀλυπίας memoria maximo ſolatio eſt.

Quamquam haec mihi litteris tradenti in mentem reddit, Graecorum ſcriptorum fide huic voci ΑΛΥΠΗ geminum ſubeſſe poſſe ſignificatum, *paſſivum* alterum, quem hactenus adſcivimus, tum alterum *activum*, ut ἄλυπος is ſit, qui nullam alteri moleſtiam creat. Eſt ad id teſtatiſſimus Luciani locus in Jovis, & Junonis dialogo, ubi pronubam Deam ita affatur: ὦ Ἥρα ζηλοτυπεῖς ἤδη ἀφελέα οὕτω καὶ ἀλυπότατον. *Eumne etiam, o Juno, aemularis tam ſimplicem, & nulli moleſtum* [2]? Ex quo epigramma ſic etiam explicari poſſe videtur, ut Hermionae haec laus tribuatur, quod Marito haud fuerit importuna, & moleſta. Quam quidem com-

1 Inſigne hoc marmor, Romae quondam effoſſum, nunc vero Tornaci adſervatum edidit olim Grvtervs *pag.* dcciii. Rurſus vulgavit Gorivs cum Salvinii interpretatione: *Inſcript. Etruriae Part.* ii. *p.*119. Itemque dederunt Mvratorivs, & Bonada *Vol.*ii. *Claſs.*viii. *num.* xxviii. Tanti autem haec inſcriptio viſa eſt doctiſſimo Bimardo, ut ſingulari commentario illuſtrandam ſuſceperit. *Memoires de l'Academie &c. tom.* xv. *Remarques ſur quelques Inſcriptions antiques.*

2 *Dialog. Deor.* v.

commendationem Latini ea formula complexi ſunt: *cum qua vixit ſine ulla querela*. Verum a propoſita ſuperius interpretatione non arbitror reſiliendum, paſſiva enim hujus vocis acceptio, monente POLLVCE, multo eſt probatiſſima. ἴσως δ᾽ ἂν αὐτοῖς προσῆκον καὶ τὸ ἄλυπος, καὶ ἀλύπως. Πλάτων δὲ καὶ τὸ ἀλύπητος ἔφη, ὥσπερ καὶ Σοφοκλῆς ἀλύπητον, *nimirum his etiam conveniunt triſtitia carens, & hilariter. Plato vero triſtitiae expers, & Sophocles triſtitia intactum dixit* [1].

Sedet ibi Hermiona ſuppoſito pedibus, more Graecarum mulierum, ὑποποδίῳ; ſtat vero infelix maritus, quem moeror diſcruciat, apprehenſa conjugis manu. Invaluit porro haec differentia apud Graecos, fuitque frequentiſſimus mos, ut in ſepulcralibus anaglyptis, qui lucis uſuram amiſerat, ſedens effingeretur, caeteri vero propinquitate, vel amicitia conjuncti ſuperſtites, qui monumentum poni curaverant, ſtantes plerumque exſculperentur. Cujus moris ne aliunde ducta, collectaque teſtimonia proferam [2], documento ſunt mox a me prolata ſepulcrorum ſchemata. In quo Graii homines videntur rerum imagines naturae ſcite attemperaſſe. Nam, ut de noſtris loquar, HERMIONA (*n.* 1.), EVGENIA (*nu.* 2.), PHILVMENA (*nu.* 3.), POLLA (*nu.* 4.), MENODOTE (*nu.* 5.), PARESIA (*num.* 6.) in his feralibus toreumatis occaſum jam jam accepturae finguntur; eo proinde corporis habitu exprimi debuerant, quo graviſſima aegritudine utcumque debilitatae apparerent. Contra vero propinqui etſi triſtitia preſſi putarentur, quoniam decebat illos ſuprema morientibus officia exhibere, aptiſſime ſtantes, moeſtiterque reſpicientes pingebantur. Quibus in officiis erat mutua manuum complexio, qua moriens in-

1 *Onomaſt. lib.* III. *Segm.* 98.

2 Habes id genus marmora Graece loquentia in noſtro opere: *Graeci Anaglyphi interpretatio*; tum apud Cl. MAFFEJVM *Muſ. Veronen. Tab.* I. *num.* 4. *Tab.* III. *num.* 11. *Tab.* IV. *num.* 10. 11. 13. Item latina penes BOISSARDVM *Antiquit. Roman. tom.* III. atque, GRAZIOLIVM *de praeclaris Mediolani aedificiis*.

inſauſto illo digreſſu parentibus valedicebat ; hi vero ex vita diſceſſuro aeternum bene eſſe jubebant . Quae quidem alterni amoris ſignificatio ſic ſancte cuſtodienda , retinendaque credebatur , ut Andromache plurimum lamentaretur , ſe eam Hectori praeſtare minime potuiſſe [1]:

Ἀρητὸν δὲ τοκεῦσι γόον καὶ πένθος ἔθηκας
Ἕκτορ , ἐμοὶ δὲ μάλιστα λελείψεται ἄλγεα λυγρά.
Ὀυ γάρ μοι θνήσκων λεχέων ἐκ χεῖρας ὄρεξας .

Infandum autem parentibus luctum, & moerorem attuliſti,
Hector , mihi vero praecipue relicti ſunt dolores graves ,
Non enim mihi moriens e lectis manus porrexiſti .

Eò procul dubio alludit Hegii , & Hermionae geſtus dexteras invicem jungentium . Venio nunc ad duas illas *Manus* in ſuperiori aediculae parte inſculptas , atque explicatas . Non multis ſane verbis agam , ut doceam , quò revera pertineat ejuſmodi ſymbolum , quandoquidem eſt id a me ante decem annos uno integro libro uberrime traditum . Quum enim Graecum *Demetrii Teti Fil.* ſepulcrum hoc ipſo emblemate notatum ſuſcepiſſem illuſtrandum [2] , accitis ex omni vetuſtate exemplis , ſimilibuſque marmoribus cum illo collatis , demonſtravi , duabus hiſce manibus ad ſydera porrectis ſignificari lugubrem lamentationem , diramque querimoniam , quum mors praematura quempiam vita expuliſſet . Quae interpretatio veriſimilior mihi viſa eſt , quum ſublatas manus inſculptas praeſertim inſpicerem monumentis eorum , quos in ipſo juventae flore , viridique aetate

Abſtulit atra dies , & funere merſit acerbo .

Accedit,

1 *Iliad.* Ω. *v.* 741.
2 *Graeci Anaglyphi Interpretatio* , quam mox indicavimus .

Accedit, quod huic emblemati ſaepenumero copulabatur formula, qua parentes ſuperſtites denunciabant, ſe *levare manus*, *ſuccenſere Diis*, *incuſare Parcas* ob ereptam cuipiam inopinato lucem, abruptaque praecoci fato vitae ſtamina. Quibus ex rebus alias fuſe expoſitis manifeſto colligitur, Hermionam ultimum juvenilibus annis obiiſſe diem, Hegium vero, etſi inculpatam conjugem cum piis in Elyſiis verſari crederet, de immatura illius morte lamentari, queſtumque cum relicto ſibi puero, ſublatis ad aſtra manibus, in Deos jacere.

NVM.



EX Athenis 1760. Alt: pal: R. 1: S.

Nvm. II.

Etsi duo eſſe dicantur, qui hoc monumentum fieri fecerunt, **ΗΡΑΚΛΕΩΝ**, & **ΕΠΑΦΡΑΣ**, unus tantummodo ex his in cellula exſculptus conſpicitur. Saepe equidem animadverti in Graecorum ſepulcris figuras, ſubſcriptamque epigraphen ſecum omni ex parte haud cohaerere: quod praeſertim in infimae conditionis hominum monumentis evenire deprehendi. Id quum mecum ipſe reputarem, nulla alia hujus diſcrepantiae cauſſa ſuccurrit, niſi illorum paupertas. Siquidem in ſummo ſepulcralium titulorum uſu, luxuque proſtrabant in lapicidarum officinis praeparata jam a marmorariis vulgaria quaedam toreumata, ſenum, ſeminarum, aut puerorum, pro ut opus eſſet, tumulis aptanda. Haec vili vendebantur his, qui impenſae parcere adigerentur, nec poſſent elegantiora *λυθογλύπτοις* facienda imperare. Tum ſaxo, quod quis emiſſet, ſatiſque rei ſuae accommodatum putaſſet, inſcriptio incidebatur, quae proinde cum ſculptis jamdudum imaginibus quandoque minime reſpondebat. Factum id reor in hoc noſtro lapide, quem ſi Heracleon, & Epaphras ex integro caelari juſſiſſent, utriuſque imaginem veroſimiliter addi voluiſſent. Mulieris nomen, ſi recte interpretor, **ΕΥΓΕΝΕΙΑ** eſt, diphthongo *ει* hoc nexu Ӗ colligata. Eam vero Heracleonis, & Epaphrae *τὸ ἀνάλωμα ἐξοδιασάντων* matrem potius, quam ſororem exſtitiſſe, mecum facile conſentient, qui Graecorum epigrammatum ſtylum norunt.

NVM.

NVM. III.

QVod de pictura adnotavit CICERO, id de ſcriptione, quae picturae genus eſt, merito poteſt affirmari: utramque videlicet a principio horridam, & aſperam exſtitiſſe, tum partium compoſitionem, & convenientiam eſſe adeptam, denique auctam ornamentis elegantem, & venuſtiſſimam evaſiſſe. At quoniam nullo non tempore fuerunt infimi, rudes, imperiti pictores, ſculptoreſque, emergunt interdum de media Graecia, tum tabularum, cum inſcriptionum exempla *ἀσύμμετρα*, quae caeteroquin auſpicatiſſimam ſpirant aetatem, exarataque fuiſſe deprehenduntur, quum liberalium artium ſtudia florerent. Ergo ad vetera monumenta interpretanda qui animum adiicit, niſi multiplicem priſcarum litterarum figuram, ac delineationem calleat, niſi earum nexus, ac colligationes probe reſolvere didicerit, niſi varios caſcae ſcripturae modos teneat, in illis caecutiat, atque hallucinetur, neceſſe eſt. Ac ne per univerſam Graeciam, quae tota ſcatet lapicidarum *κακογραφίᾳ* lectores circumducam, omnemque ſuperiorem memoriam replicem; documento ſit haec tertia inſcriptio, cujus apographum quum in manus cujuſdam minus periti, minuſque harum rerum ſtudioſi litteratoris incidiſſet, mirifice depravata fuit. Is enim characterem ∧ν unius lineolae, ſive lemniſci aberratione redundantem pro **N** accepit; tum litteram ΛΛ cruribus plurimum divaricatis deſcriptam, bifariam ſecavit, & in duas **Λ**, & **Λ** diſtinxit, unde aſperum, inconditaeque pronunciationis nomen **ΦΙΝΤΛΛΕΝΗ** conflavit, quum nemo in his ſtudiis mediocriter verſatus continuo, clareque non intelligat, legendum, vel reſtituendum eſſe, **ΦΙΛΤΜΕΝΗ**. Perperam ergo, inepteque ab iniquis nonnullis cenſoribus in tanta cultiorum diſciplinarum luce, atque hac aetate deſpicitur otium illud litteratum, quod palaeographiae excutiendae, perficiendaeque impenditur, neve in putra, putaque *λογοδηρίᾳ* poſitum illud eſt, ſi abſque ejuſdem praeſidio nihil de vera antiquarum inſcriptionum lectione conſtitui poteſt. Ve-

Verum Grammaticis hiſce diſquiſitionibus multo difficilior, atque implicatior videtur idonea, rectaque *εἰκονισμοῦ* explanatio. PASSERIVS ſcriptor *ἐξοχώτατος*, meique amantiſſimus hoc jam occupavit argumentum, quum ſimillimum Pareſiae ſepulcrum, quod nos ipſi hic recudimus (*num. 6.*) interpretaretur, putavitque puellam ſtantem demonſtrare ipſius Pareſiae animam, quae collectos in arcula ſui cineres ſedenti Proſerpinae Inferorum Reginae commendat,

Det ſedes ut amica pias, meritoſque receſſus [1].

Quamvis exquiſitae hujus ſummi hominis doctrinae plurimum me ſemper tribuiſſe profitear; attamen quum ex honeſta, diuturnaque illius conſuetudine probe noverim, id genus conjecturas ſic ab eo proponi, ut cuivis ab illius ſententia libere reſiliendi poteſtatem ingenue faciat; dicam quid in cauſſa ſit, quominus in ipſius ſententiam concedam. Et ſane nulla Perſephones indicia, & emblemata ſive in Pareſiae, ſive in Philumenae ſepulcro ſedentem mulierem decorant: non calathus, aut ſpica, aut papaver [2], non taeda [3], non corona ſpicis contexta [4], non alia ornamenta, quibus Cereris [5], ſive Stygis filia [6] conſuevit inſigniri, atque diſtingui. Neque etiam ullus *Anſer* ibi viſitur, qui Proſerpinae ſacer

1 *Oſſervazioni ſopra alcuni antichi Monumenti Parte* I. *pag.* XV.

2 SEGVINVS *Selecta Numiſmat.* §. III. nummum aereum profert, ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, in quo videre eſt Proſerpinae imaginem, cum calatho inter ſpicam, & papaver ſtantem. At BEGERVS in *Nummis Saloninae* non *Ditis* effigiem, ſed *Tentorium* tribus columellis deſuper ornatum ſibi videre viſus eſt; cujus judicium plurimum aberrat a vero.

3 ΚΟΡΗ, ſive ΠΕΡΣΕΦΟΝΗ taedas geſtans occurrit in nummo Fauſtinae Aug. a Cyzicenis percuſſo. TRISTANVS *tom.* II. *in Diadumen. p.*313. Rurſus in Carneola Muſei Stoſchiani. Confer CL. WINKELMANNI opus: *Deſcription des Pierres Gravées ſeconde Claſſe num.*413. Item in aliis innumeris monumentis.

4 In Nummo Agathoclis. BEGERVS *Numiſm. Regum*. TRISTAN. *Ibi. pag.* 314.

5 HESIODVS *in Theogonia*.

6 APOLLODORVS *lib.* I.

ſacer PASSERIO dicitur [1]. Ambages, difficultateſque auget, quod ipſe antiquitatis callentiſſimus vir ingenue alibi teſtatur, pallentes animas non humana ſpecie, ſed papilionis forma ab Ethnicis fuiſſe expreſſas [2]. Quibus & illud plurimum ponderis, momentique addit, numquam vel liberioris ingenii poëtas finxiſſe, animas ſuos cineres, combuſtaſque corporis reliquias ad regna Plutonis ſecum detuliſſe, atque Diis Inferis, a quibus beatorum choro inſeri poſcebant, commendaſſe. Quantum igitur abeſt εἰκὼν a Proſerpinae indole, cultuque repraeſentando! Mihi equidem diligentius illam conſideranti, menteque revolventi familiare Graecis λυθογλύπτοις fuiſſe, ut funebres ritus in ſepulcris effingerent, dubitatio animum ſubiit, emblematis interpretationem repeti forſitan poſſe ex formula Tabularum Decemviralium in quibus ad ſumptuoſum exequiarum luxum coercendum, minuendumque, cautum legitur: *ne longae coronae* (ſepulcro) *imponantur*, *neve acerrae* (mortuo) *praeferantur* [3]. Jam vero quum puella Philumenae, vel Pareſiae adſtans *acerram*, ſive arculam thurariam geſtet [4], neque hic ritus Graecis interdi-

1 *Loc. cit. pag.* XX. Adiſis monumentum, quod ornatus ergo nos ipſi adjecimus *pag.* 210. Proſerpinam ſimiliter in hoc marmore effictam exiſtimavit PASSERIVS defunctae puellae animulam manu tenentem. Ego vero, ſi anaglyphum ſepulcrale reapſe ſit, aliquam ex his mulieribus exiſtimaverim referre, quae Ἐπιτυμβάδες dictae fuerant, & ad animas e ſepulcris exciendas, evocandaſque conducebantur. Huic conjecturae blandiri quodammodo poterunt PRVDENTII carmina contra Symmachum *lib.* I.

Murmure nam magico tenues excire figuras,
Atque ſepulcrales ſcite incantare favillas,
Vita item ſpoliare alios ars noxia novit.

Quae Manium evocatio quoniam quibuidam ἱλασμοῖς, καὶ χοαῖς perficiebatur, *Anſerem* a puella adminiſtra ſacrificii, expiationiſque cauſſa afferri dixerim. An dedecebat evocationis ſpeciem ſepulcro inſculpi?

2 *Ubi ſupra.*

3 *Leg.* XII. *Tabular. tab.* X. Legem hanc, ſi quis alius, egregie, vereque interpretatus eſt illuſtris Lipſienſis Profeſſor amicus meus FRIDER. PLATNER. *De Legibus Romanor. ſumptuariis Parte* I. *cap.* IX. *de Coronis, & Acerris.*

4 Hanc eſſe capſae thurariae, ſive acerrae formam, innumera oſtendunt monumenta, antiquitatum cultoribus notiſſima.

ctus alicubi offendatur, ſuſpicabar, effigiem eſſe ancillae, aut adminiſtrae, quae in funeris elatione odores praeferebat, in demortuae feminae honorem fundendos, incendendoſque, ne urnae oſſa inodora darentur. Verumtamen poſtquam animadverti ejuſmodi capſulas nonniſi in mulierum ſepulcris adinveniri [1]; quoniamque credibile minime eſt, thuris honores illis tantummodo fuiſſe exhibitos, extemplo, planeque intellexi, nihil opportune huic toreumati explicando poſſe afferri, niſi cum feminarum moribus probe conſentiat. Quare in eam adduci opinionem facile paſſus ſum, ut credam, ad **κόσμον γυναικεῖον** veroſimilius poſſe referri. Namque ſi apud Graecos imprimis perpes mos fuit, ut ſepulcris emblemata inſculperentur **τὰ ἐπιτηδεύματα**, quae defuncti vitam, inſtituta, artemque, quam profeſſus fuerat, demonſtrarent [2], nihil convenientius in mulierum tumulis effingi poterat, quam quod illis tantopere in deliciis ſemper fuit, ſicque omnium feminarum proprium [3], ut exinde *mundus muliebris* appellaretur. Itaque ſitellam ornamentorum muliebrium eſſe interpretor ab *Ornatrice* delatam, in qua anuli, armillae, monilia, reticuli, taeniae, inaures, uniones, omniſque ſumptuoſa ſupellex ad inſignem culturam comparata adſervabatur. Atque id mihi veroſimilius fit, quod ejuſmodi arculae cum flabello, ſpeculo, & vaſculis unguentariis, caeteroque luxu muliebri non ſemel [4] copulentur.

---

1 Vid. *Muſeum Veron. Marm. Graec. Tab.* I. *num.* 2. *&* 5. *Tab.* IV. *n.* 7. Monumentum Bituricenſe JVLIAE PAVLLINAE editum explicatumque a STEPH. CHAMILLARTIO *Diſſert. ſur divers monuments &c. Seizieme lettre*. Item *Marmora Arundel.* XXXV.

2 Adi Scriptores *de Funeribus Graecor. & Romanor.*, quos alias excitavimus.


3 Licet feminarum luxus, atque ornatus ab Athenienſibus, & Syracuſiis lata lege compreſſus fuerit, ut ex STRABONE *lib.* V., & PHILARCHO *apud Athenaeum lib.* XII. colligitur, nullibi tamen, ut in ipſa Graecia invaluit; nec ſemper ἑταιρικὸς, ſed bonus, atque honeſtus habitus fuit, quemadmodum dicitur ab ARTEMIDORO *Oneirocritic. lib.* II. *cap.* V.

4 *Muſ. Ver. & Marm. Arundel. l. c.*

lentur. In eam autem capſellam Philumena, & Pareſia manum intendunt: quo geſtu aliquid circa illam ſe agere ſignificant. Porro quum in memoriam revoco juriſconſultiſſimi Pavlli verba [1], quibus intelligitur, fuiſſe conſuetudinis, ut mundus muliebris legaretur, tantum non pro certo habeo, Philumenae, & Pareſiae imaginem ſic exhiberi, ut eſſet indicio, utramque morituram prudenter de omni ſuo ornatu, cultu, deliciiſque teſtamento caviſſe: ex quo certa quaedam eiſdem videtur accedere commendatio. Quod ſi in ſepulcris Militum, Artificum, hominumque vel eloquentia, vel ſubtili philoſophandi genere illuſtrium, quae adduntur ſymbola, ad illorum ingenium, inventaque declaranda inſculpta fuiſſe conſtat; in duobus hiſce mulierum tumulis arculae emblema ad illarum indolem, inſtitutumque referri oportere putavi: quandoquidem omnino propria *haec faeminarum inſignia ſunt* [2].

Ii 2 NVM.

1 *Receptar. Sententiar. lib.* III. *cap.* 6.
2 Livius *lib.* XXXIV. *cap.* VII. Mundi muliebris Cimelia aliquot ex Muſeo Nanio heic a nobis opportune producenda viſa ſunt.



E Corcyra

Nvm. IV. V. VI.

Exesis, detritiſque complurimis quartae inſcriptionis litteris, initio conſpicuum relinquitur mulieris nomen **Η ΠΩΛΛΑ**, quod etiam in Latinorum marmorum collectaneis crebro occurrit. Heic quidem per *ὠ μέγα* effertur, quemadmodum in Graeco titulo Muſei PAPENBROEKII [1]; quamvis in Lapide MAFFEIANO [2] per *ὀ μικρὸν* deſcriptum legatur Hanc primam vocem excipit continenter littera **K**.., unde veroſimiliter initium ſumebat alterum *Pollae* nomen, ut illud in Novo Theſauro [3], *Polla Caecilia*. In tota autem inferiori lacuna nihil exaratum conſpicitur, praeter duo virorum nomina **ΛΕΥΚΙΟ... ΛΕΥΚΙΟΥ**. Quae tamen pro recepto horum epigrammat*ων* ſtylo, ſic forte cum priore copulari poterunt, ut tota integretur inſcriptio.

ἡ. Πώλλα. Κικιλία
Λευκίου. θυγάτηρ
Λευκίου. δ'. ἄλοχος.

Adſtat ei filia ſupremum morientis matris complexum, triſtemque vale de more ſuſceptura. Sequitur **ΜΗΝΟΔΟΤΗΣ** frugi mulieris ſepulcrum, ob cujus interitum plurimum acerbitatis hauſiſſe videtur, aliquis ex conſanguineis ſtans vultu ad triſtitiam compoſito. De **ΠΑΡΗΣΙΑΣ** autem titulo ſatis jam egimus in ſuperiore explanatione, quin in eo rurſus illuſtrando curam aliquam impendamus.

NVM.

1 ODENDORPIVS *Monumenta Papenbroekiana num.* 28.
2 *Muſ. Veron. Marm. Graec. Tab.* IV. *num.* 9.
3 MVRATOR. *pag.* CLIV.

Nvm. VII.

COMMENTATIONIS paullo uberioris argumentum nobis ſuppeditat perbrevis haec epigraphe, ſociumque anaglyphum, etſi primo obtutu expeditiſſimum videatur. Quamvis enim vox **ΧΡΗΣΤΟΣ**, poſt nomen **ΠΡΟΘΥΜΟΣ** ſcripta cum ſequenti adprecatione, ſalutationeque **ΧΑΙΡΕ** optime jungi queat, tamen quum recto caſu efferatur, pro ipſius Prothymi agnomen haberi poteſt. Sane magnum fuit apud veteres in deligendis nominibus ſtudium, magnaque ſignificatus, quem illa praeſeferebant, obſervatio; ideoque infantibus ea crebro indebantur, quae bonum eventum portenderent, & ex quibus laeta caperentur auguria. Qua re factum eſt, ut quoniam vox illa **Χρηστὸς** quid utile, jucundum, probum, innocens, mite, benignumque ſignificat, plerique illud ſibi nomen plus libenter adſciſcerent. Mitto Latina exempla: nihil enim in litteratorum marmorum collectionibus frequentius, quam nomina *Chreſtus*, vel praetermiſſa aſpiratione, *Creſtus*, ejuſque **ὑποκοριστικὰ** *Chreſtion*, *Chreſtenus*, *Chreſtillus*, *Chreſtianus &c.* [1] Graeca potius ſunt a nobis proferenda. Atque in magna iſtorum copia *Chreſtos* duos commemorare praeſtabit, qui ſapientiae laude claruerunt: ex quo liquet non libertorum tantummodo, infimique generis hominum, ſed illuſtrium etiam ſcriptorum nomen fuiſſe. Prior fuit rerum Atticarum hiſtoricus, cujus meminit MEVRSIVS [2]; ſed illo videtur celebrior alter Chreſtus Byzantinus, cui Graecia, ut PHILOSTRATVS dixit, ingratam ſe nimium praebuit terram. *τὸν δὲ Βυζάντιον σοφιστὴν Χρῆστον ἀδικεῖ Ἑλλὰς ἀμελοῦντες ἀνδρὸς, ὃς ἄριστα μὲν Ἑλλήνων ὑπὸ Ἡρώδῃ ἐπαιδεύθη, πολλοὺς δ' ἐπαίδευσε καὶ θαυμασίους ἄνδρας... Παιδεύοντι δὲ αὐτῷ κατὰ τοὺς Ἀδριανοῦ, τοῦ σοφιστοῦ, καιροὺς, ἑκατὸν ἔμμισθοι*

1 Copioſe eſt id a me explicatum in Italica Diatribe: *Intorno ad una antica Inſcrizione &c.* quam Comiti RINALDO CARLIO inſcripſi, edidique in Collectaneis Opuſculorum CL. CALOGERA *tom.* XLII.

2 *Bibliotheca Attica lib.* II.

ἔμμισθοι ἀκροαταὶ ἦσαν. *In Byzantinum autem ſophiſtam Chreſtum injurii certe ſunt Graeci, negligentes virum, qui omnium Graecorum optime Herodis inſtitutione profecit, multos ipſe inſtituit, eoſque ſpectatos viros . . . Circa autem Hadriani tempora Sophiſtae docens centum habuit auditores, mercedem ſolventes* [1]. Itaque una neceſſaria ſuffecta littera in fine primi verſus, nempe Σ, vel Υ, rectiſſime legi poterit: Πρόθυμος Χρῆστος, *Prothymus Chreſtus*, vel Πρόθυμος Χρήστου, *Prothymus Chreſti filius*; etſi ego uſitatas formulas ſequutus, reddiderim, *Prothymus . frugi . homo . Vale .*

Adoleſcentem, qui ſcopulo moeſtiſſimus inſidet, proſpectatque ſolventem littore navim, ipſum Prothymum referre minime ambigo. Sed ideo ne nudus, feſſus, triſtiſque effictus, atque in maritima ora poſitus, quod naufragio perierit? Huic quidem conjecturae, quae a CL. PASSERIO primum propoſita eſt [2], haud repugnabo; videtur enim Prothymus de adverſo, infelicique ſuo caſu conqueri, ut ille Bithynius adoleſcens Baſilides, fracta navi ſubmerſus [3]:

Κεῖμαι δ' ἐν Σχερίῃ παρὰ θῖν' ἁλὸς ἠνεμοέσσαν
Ὕστατα, λυγρὸν ἐμοὶ δερκόμενος πέλαγος.

In Scheria tandem ventoſi ad littora ponti
En jaceo ſpectans triſte mihi pelagus.

At numquam in animum inducam ea navi *Charontis Cymbam* repraeſentari; quae quum a ſene illo per Stygem, & Acherontem remo agitaretur, neque tam lata, eminentique forma donari poterat, neque acroterio ornari, neque temone muniri, ſed ad modum navigioli effingi debuiſſet, qualis

1 *In Vit. Sophiſtarum lib.* II. *a.* II.
2 *l. c. pag.* XVII.
3 Hoc ipſum epigramma longe ante Muſei Veronenſis editionem emendatiſſime ediderat, metriceque verterat EM. QVIRINVS *in Corcyrae Primordiis cap.* XXII.

lis horrendi portitoris ſcapha in infinitis propemodum monumentis expreſſa viſitur ; quaeque tam anguſta , & animae tranſvehendae vix capax putabatur , ut ab Aristophane *in Ranis* τωυνῦτος appellaretur [1] . Sic enim Bacchum ad Inferos migrantem apud Comicum alloquitur Hercules :

> Ἐν πλοιαρίῳ τυννουτωί σ' ἀνὴρ γέρων
> Ναύτης διάξει . . . .

> *In navicula tantillula te quidem ſenex*
> *Nauta trajiciet* . . . .

Licet ergo de Prothymi naufragio prorſus conticeſcat inſcriptio , nihilominus ſi navis formam , hominiſque poſitum , atque habitum conſideres , videtur totum εἰκονισμὸν non aliò aptius poſſe referri .

Illud nunc relinquitur , ut paullo fuſius dicam de lunata duorum characterum Є , C forma , quae in ejuſmodi , aliiſque jam productis marmoribus obſervatur , quandoquidem video eſſe Graecanicae antiquitatis cultores , qui adhuc ea in haereſi verſantur , ut credant , ſerius fuiſſe invectam , ideoque monumenta his litteris obſignata ad ima tempora incaute rejiciunt . Condonandum ſane viro de re litteraria benemeritiſſimo Montfauconio [2] , quod falcatum τὸ Ε ψιλὸν a lineola tranſverſa diſſectum nonniſi primo aere Chriſtianae ſaeculo in nummos , atque marmora irrepſiſſe ſcripſerit , atque in caeteris , quae eam praeceſſerunt aetatem , ſe numquam offendiſſe affirmaverit . Namque dum haec ſcripto mandaret doctiſſimus philologus , nondum fortaſſe e latebris prodierant pretioſa vetuſtatis monumenta , quibus dilucide , certoque edocemur , curvatam hujus litterae figuram inter vetuſtiſſimas poſſe numerari . In quo non eam mihi laudem arrogo , quaſi nunc primum id ego retegam , ac pate-

1 *Act.* I. *Scena* II.
2 *Palaeograph. lib.* II. *cap.* VI.

patefaciam. Lunati *epſilon* antiquitatem perſenſerunt P. de VITRY [1], & CL. LVPVS [2]; ſed ille rem omnem verbis admodum paucis perſtrinxit, quum dixit „ in nummis, qui Do„ mitiani aetatem aliquot ſaeculis anteceſſerunt, forma Є, „ nonniſi parce, & raro, ſed interdum tamen uſurpata eſt „. Alter vero etſi optima extulerit exempla, attamen ea ſunt, quae ab aevo Auguſtaeo vix removentur; quum multa praeſto ſint altius accerſita. Primo quidem ad lithoſtroti Praeneſtini inſcriptiones poſſem provocare, in quibus Muſivarius adnotandis animalium nominibus Є ſemicirculari pluries uſus eſt, ſi revera ſatis ponderis, auctoritatiſque haberet ea, quam de hoc pavimento fixe homines imbiberunt, opinio, quaeque in noſtrorum ſcriptorum animis penitus inſedit [3]; L. Sullam poſt victoriam de Cajo Mario juniore reportatam, Graeci artificis opera hocce ornamentum templo Fortunae Praeneſtinae addidiſſe, nempe annis LXXXVII. ante CHRISTVM natum. Verum adeo graviſſima, & firmiſſima ſunt argumenta, quae ad eam opinionem elevandam excogitavit, compoſuitque CL. BARTHELEMY, vir accerrimo ingenio, litteris, doctrinaque praeſtans [4], ut ſepoſitis omnibus, quae mihi cum illo ſunt, neceſſitudinis cauſſis, longe ſerius poſt Sullam muſivum illud fabrefactum fuiſſe, perſuaſiſſimum habeam.

Age itaque, & quae dubia nemini eſſe queant, teſtimonia ex penitiori repetamus antiquitate. Prodeant primum veterrima illa, & praeclariſſima Laconicorum de Euryſthenidarum, & Proclidarum ſtirpe Regum, Theopompi, Alcamenis, Polydori monumenta, quae Pharis, Amyclis, Thyriae exſcripſit eruditus peregrinator FOVRMONTIVS [5]. In quibus

---

1 *Titi Flavii Clementis Titulus Illuſtratus* §. II.

2 *Epitaph. S. Severae Martyris illuſtratum* §. XV.

3 KIRCHERIVS *Vetus Latium*. SVARESIVS *de Antiqua Praeneſte lib.* I. VVLPIVS *Vet. Lat. in Praeneſt.* EM. CARD. FVRIETTVS *de Muſivis c.* III. CECCONI *Storia di Paleſtrina lib* I. *cap.* IV.

4 *Explication de la Moſaique de Paleſtrine.*

5 *Memoires de l'Academie tom.* XV. *Remarques ſur trois Inſcriptions trouvées dans la Grece.*

bus ſi minus perpes eſt recurvati *epſilon* pictura, alternat illa certe cum rectilinea. Non longe ab iſtorum lapidum aetate recedit Clypeus marmoreus Amyclis rurſus ab eodem illuſtri viro inter celeberrimi Apollinis fani ruderibus repertus [1], cui inſcriptum legitur: **ΑΡΧΙΔΑΜΟϹ ΑΓЄϹΙΛΑΟΥ ΛΑΚЄ-ΔΑΙΜooΝ**. Jam vero ſcitum illud eſt, hunc Lacedaemoniorum Regem Archidamum Ageſilai filium trecentis, & amplius ante Auguſti aevum annis floruiſſe, eaque dignitate Spartae eſſe potitum. Clypei autem configuratio ejuſmodi eſt, ut in Archidami uſum factus credi debat, non eo extincto elaboratus. Eſt ne heic mihi ab hiſce marmoribus ſuſpicionis nota longo ſermone propulſanda, & Fovrmontii fides, atque honeſtas ab illorum criminationibus vindicanda, a quibus in vulgus prolatum eſt, id genus inſcriptiones fuiſſe ab illo per dolum, ac fraudem excogitatas atque confictas? Non eam ego cauſſam oratione mea tuendam ſuſcipiam, quae illuſtris Pariſienſis Academiae ſuffragio, judicioque in tuto jam poſita eſſe videtur. Non enim inſignis ille doctorum, proborumque hominum coetus permiſiſſet, inſcriptiones in Acta referri, & in populum ſuo nomine editas dari, niſi tam turpi nota immunes agnoviſſet. Quis quaeſo in viros antiquitatis peritiſſimos, ingenuos, ſpectataeque integritatis hanc audeat conferre calumniam, aut eos poſt diuturnum, & aequum examen, *ψευδεργίαν* non perſpexiſſe, aut Reip. litterariae aſſenſu ſuo tucum facere voluiſſe? Igitur pro monumentorum *αὐθεντίᾳ*, pro Fovrmontii honore, pro exemplis a Laconicis, Meſſeniciſque marmoribus a me huc corrogatis propugnat Regiae Academiae ſententia. Vt autem ad propoſitum dicendo revertar, ſapienter animadverſum eſt a *Novae Diplomatices* auctoribus, ejuſmodi elementi figuram antiquitus minus circumflexam fuiſſe, ut potius ſegmenti ellipleos Є, quam hemicycli ſpeciem referret [2]; at Alexan-

1 *Memoires de l' Academie tom.* XVI. *Explication de trois anciennes Inſcriptions, qui ont été trouvées dans le temple d' Apollon Amycléen.*

2 *Noveau Traitè de la Diplomatique par deux Religieux Benedictins tom.* I. *Part.* II. *Sect.* II. *chap.* XV.

dri M. temporibus in eam formam abiiſſe, quam exhibet Prothymi inſcriptio.

A marmoribus jam ad nummos gradum facimus, atque inter eos principem locum dabimus aeneo parvi moduli, quem e tenebris extulit Cl. Froelichivs ὁ μακαρίτης [1] hac inſcriptione inſigni: **ΒΑCΙΛΕ . . . . ΓΕΝΤΙΟΥ** Erat Gentivs ferox Illyriorum Rex, quem Perſeus ultimus Macedonum Regum ſpe trecentorum talentorum in ſuas partes adduxit, incitavitque, ut ſecum bellum contra Romanos ſuſciperet. Quo in bello Gentius Romanorum Legatos in cuſtodiam conjecit, aliaque facinoroſe potius, quam ſtrenue geſſit. Sed inhoneſti, doloſique animi poenas dedit, Romam a Paullo Aemilio in triumphum deductus anno ante aeram Chriſti 168. [2] Nummus ergo his litteris ſignatus ante id tempus percuſſus. Huc item pertinet aereus alter ab Hadr. Relando productus [3], hanc epigraphen intra lauream coronam oſtentans: **ΒΑCΙΛΕΟC** (*ſic*) **ΑΝΤΙΓΟΝ**. Hunc eſſe Antigonvm Johannis Hyrcani filium, qui cum fratre Ariſtobulo Antiochi Cyziceni, Damaſci Regis copias fugavit, facile, probeque intelligitur ex patris ipſius nomine in altero hujus Monetae orbe litteris Samaritanis deſcripto: *Hyrcanus Sacerdos Summus*. Antiocho porro devicto non ſine aliqua juris ſpecie licuit Antigono **Βασιλέως** inſignia, nomenque ſibi vindicare, ideoque nummus ille, ut a doctiſſimo Swinton [4] animadverſum eſt, ex officina Monetali veroſimiliter in populum ſpargi debuit non ante ipſum annum, in quem incidit Antigoni victoria: nam ſi ad praecedentes referretur, difficile eſſet cauſſam invenire, quamobrem Antigonus *Rex* appellaretur.

---

1 *Veterum Regum Numiſmata Anecdota, aut perrara notis illuſtrata pag.* 45.

2 Plvtarchvs *in Paullo Aemilio*.

3 *De nummis veterum Hebraeorum, ſeu de num. Samaritanis Tab.* IX.

4 *De Nummis quibuſdam Samaritanis, & Phoeniciis Diſſert. adjecta operi:* Inscriptionis Citieae. *Nummus ſecundus*.

laretur. Atqui memorata Antiochi IX. Philopatoris, vulgo Cyziceni ſtrages, Antigonique triumphus conſignandus eſt anno ante Chriſtum natum 110. Ab eodem ergo derivanda nummi aetas.

Tertius his adnectendus ſuccurrit argenteus POLEMONIS, qui regno Ponti ea parte, qua ad Cappadociam vergit, dignatus eſt propter res praeclare geſtas ab Antonio primum, deinde a Caeſare Auguſto [1]. Nummi quem hic appello delineationem exhibent Muſeum PEMBROCHII [2], atque tabulae adjectae hiſtoriae Achaemenidarum laudati mox de CARRY [3]. Quo in nummo caput Polemonis circumambit epigraphe **ΒΑCΙΛЄωC ΠΟΛЄΜωΝΟC**, vorſum vero eſt Auguſti effigies, quam Polemo accepti beneficii memor ſuae addi voluit cum anni nota: **ЄΤΟΥC ΙΗ.** Porro annus 17. Auguſti reſpondet anno ante aeram Chriſtianam 26., quo Polemo ſolo Ponti regno potiebatur; Boſporanum enim enim nonniſi an. V. C. 741. Aug. 32. ante C. N. 13. adeptus fuit. Habes ergo in hac moneta novam argumenti teſtificationem. Quamquam duo illa elementa Є, & ω, quae in mox recenſitis nummis iterato comparent, conſtanter retenta cernuntur in aliis *Sauromatis*, *Rheſcuporis*, *Cotys &c.* qui Boſpori Cimmerii regnum poſt Polemonem tenuerunt; ut exinde inferre liceat, hanc fuiſſe communem Ponti, Boſporique ſcripturam, antequam per reliquas Graeciae partes ſe funderet, ac manaret. Praeterea in omnibus hiſce nummis, quemadmodum in aliquibus ex noſtris marmoribus, *epſilo* rotundo jugiter copulatur *ſigma* eadem flexione deformatum. Quamobrem perſuaſum nonnullis eſt, eamdem fuiſſe utriuſque litterae fortunam, paremque illis tribuendam eſſe aetatem. Id ego quidem viris eruditis, qui ita ſentiunt, ultro

1 STRABO *lib.* XII. Conſuleſis SOVCIETVM *Hiſtoire Chronol. de Pythodoris Reine du Pont.* §. IV. Genus, & patria Polemonis innotuit vel maxime ex inſcriptione Cumis in *Aetolia* ſuperioribus annis detecta, quam indicat CL. CARRY *Hiſtoire de Roys du Boſphore pag.*41.

2 *Parte* II. *Tab.* 67.

3 *Tab.* IV. *num.*I.

tro concederem, niſi in veterrimo Archidami Clypeo, ac Meſſenicis inſcriptionibus, ubi epſilon forma recurva donatur, ſigmatis configuratio rectilinea, Ϲ, & Ϛ occurreret: ex quo certe liquet, Є diu ante C in Graecorum monumenta irrepſiſſe [1].

Poſt marmora, atque nummos, commemorandum inſigne illud MITHRIDATIS Eupatoris, Gymnaſiarchae, Regiſque Ponti donarium, ſive aereus lebes litteris delicatiſſimis & graphio ſcriptus, ante paucos annos ad Portum Antii repertus, quem incomparabilis Pontifex litterarum fauſtitati coelitus datus BENEDICTVS XIV. in Muſeum Capitolinum juſſit inferri. Praeclarum craterem deſcripſerat jam POCOKIVS in Anglico ſuo ὁδοιπορικῷ [2], ſed multo felicius, accuratius, eruditiuſque vaſis uſum, donarii tempus, Eupatoriſtae ſignificationem, Gymnaſiique ſitum expoſuit, mireque perplexam inſcriptionem, uti aſſolet, veroſimilius interpretatus eſt ED. CORSINVS [3]. Quum itaque a doctiſſimo viro demonſtratum ſit, Mithridatem ejuſmodi lebetem pro ludorum praemio dedicaſſe anno regni ſui 54., qui incidit in an. V. C. 687. ſive 67. ante A C., atque in illius inſcriptione characteres Є, & C ita expreſſi conſpiciantur, hoc rurſus teſtimonio admonemur, ante conſtitutum Caeſarum imperium, recurvati ἐ ψιλοῦ formam in quovis monumentorum genere crebrius fuiſſe uſurpatam. Atque haec ipſa monumenta adverſus illorum ſententiam pariter reclamant, qui litterae Simonideae priſcis Graeciae incolis incompertae [4] figuram,

1 Ejuſmodi nota Ꞓ reperitur etiam in *Tabulis Heraclienſibus*; ſed ibi, monente ſummo, & excellenti rerum Graecarum magiſtro MAZOCHIO, nequaquam ſigmatis vices gerit, ſed interdum loco eſt denſae aſpirationis, frequentius eſt loco *V* conſoni. *Prodrom. ad Tab. Heracl. Diatribe* III. *cap.* II.

2 *Vol.* II. *Parte* II. *cap.* V. *fol.* 297.

3 *De Cratere aeneo Mithridati Ponti Regis*. *In* Volum. VI. *Symbol. litterar*. CL. GORII.

4 Quamvis haec littera Ω inferne hians, cruribuſque utrinque protenſis, annis ante Chriſtum 480. inducta perhibeatur, non videtur ab omnibus

guram, qualis hodiedum obtinet in minuta ſcriptura, *ω*. nonniſi ab Auguſti regno in publicis monumentis invaluiſſe. Quae, ſi minus in lapidibus, certe in nummis ad eum modum conformata, multo ante id tempus prodierat [1]. Haec tamen non ita accipi volo, perinde ac ſi marmora omnia his notis diſtincta tantam vetuſtatem praeſeferre exiſtimem. Sed iſthaec plurimum juverit obſervare ad eos ſcriptores (dicto ſit venia) coarguendos, qui uno, vel altero ex his characteribus in monumentis conſpectis, monumenta ipſa confeſtim, libereque ad ſequiorem detrudunt aetatem.

NVM.

---

nibus illico fuiſſe recepta. Ante ipſius inventum duplex *oo* pro *ω*, ſcribebatur, quemadmodum in Archidami clypeo videre eſt. Petilini, Lilybaetani, quandoque etiam Comageni hujus litterae differentiam non diſtinxerunt, niſi lineola *o* parvo ſubducta. Confer horum populorum nummos apud HAVERCAMPIVM *de litteris Graecis num.* XL. *Theſaur. Britan. tom.* I. 108. *tom.* II. 163. Neque etiam indictum praeteribo perſaepe in noſtris hiſce ſaxis o' *μικρὸν* ſaepe offendi charactere caeteris minore deſcriptum. Fatendum enim vero ita factitatum fuiſſe non in Peloponneſo modo, ſed quocumque pertigerat Graecanicae linguae uſus: ſi quidem in innumeris aliis aeneis, lapideiſque monumentis eadem obſervatur orthographia. Quae licet remotioris cujuſdam vetuſtatis indicium plerumque ſit, non aliqua lege id poſtulante, ſi quid ſapio, invecta fuit, ſed hominum libito, arbitrioque.

1 PARVTA *Num. Sicil. Tab.* CXI. & CXIII.

ex Dalm 1751



ex Dalm



NVM. VIII.

HELLENICARVM rerum adſpectu, contemplationeque ita ſemper afficior, ut quoties anecdota gentis illius monumenta mihi ante oculos obverſari contingat, non modo ad illa me rapi ſentiam, ſed cum aliis liberaliter communicare percupiam, quod ex ejuſmodi cimeliis major quaedam utilitas noſtris his ſtudiis alendis, fovendiſque percipi queat. Quapropter nemini mirum ſit, ſi caeteris MVSEI NANII ſepulcralibus titulis hunc alterum adnecto, cujus fidiſſimum apographum a CL. OLIVERIO nuper accepi. Siquidem in illius interpretatione neceſſe erit nonnulla dicendo perſtringere, quibus ſepulcralium thematum παράστασις cumulatius explicetur, & anteactae noſtrae commentationi nova quaedam lux affundatur. Eo etiam nomine hunc lapidem libentiſſime protuli, ut amico incomparabili, omnibus his artibus, quae ſunt nobili, & libero homine dignae, perpolito hoc quicquid *Minervale*, velut ſtudii, cultuſque mei pignus exhiberem.

Duobus APOLLONIIS, quorum alteri pater fuerat συνώνυμος, alteri *Nicolaus*, utriſque tamen Ἡρακλεῶτοις, & humo repoſitis commune fuit hoc monumentum. Quod Athenienſibus ex Solonis inſtituto uſuveniebat, ut in eodem ſepulcro plura cadavera perraro componerentur, niſi mortuos vel ſanguinis propinquitas, vel ſumma neceſſitudo, vel par conditio, dum vitam ſpiraverant, inter ſe ſe conjunxiſſet; id in omni ferme Graecia, ſi Megaram excipias, frequentatum legitur. Itaque inter duos Apollonios non modo patrii ſoli communio, ſed vel cognatio, vel amicitiae nexus interceſſit, cujus gratia eodem conderentur ſepulcro. Sed ex tribus & viginti urbibus eodem *Heracleae* nomine inſignitis, a STEPHANO memoratis [1], quis audeat certo pronunciare, quaenam exſtiterit natalis Apolloniorum tellus? Si quid in hac tanta obſcuritate, ambiguitateque ſaltem

1 *De Urbibus h. v.*

ſaltem conjectando licet affirmare, ex varia τῦ ἐθνικῦ inflexione unice repeti poterit. Nam etſi inconſtanter illud efferatur, attamen ex veterum nummorum inſcriptionibus liquet, unamquamque urbem peculiarem pronunciationem retinuiſſe. Nummi ab his, qui Heracleam Acarnaniae, & Pieriae habitarunt, percuſſi, ſic notantur: **ΗΡΑΚΛΗΤΩΝ** [1]. Qui Heracleam Thraciae incoluerunt, monetam, hac epigraphe obſignarunt: **ΗΡΑΚΛΕΩΤΑΝ** [2]. Qui denique Cumae, Ponti, Lydiae, Siciliae, Italiaeque Heracleam tenuerunt, civium nomen ita ſcripſere: **ΗΡΑΚΛΕΙΩΝ** [3]. Igitur, quoniam eadem veroſimiliter eſſe debuit lapidum orthographia, quae nummorum fuerat, efficitur plane, ſepulcrum Muſei Oliverii ad unam ex quinque mox recenſitis civitatibus eſſe referendum, & Apollonios, vel Cumaeos, vel Lydos, vel Siculos, vel Italos exſtitiſſe. Quamquam quum monumenta reliquarum urbium, quibus idem Heracleae nomen adhaeſit, minime in promptu ſint, unde dijudicare licet, qua ratione τὸ ἐθνικὸν ab illis ſcribi conſueverit, non repugno omnem noſtram conjecturam adhuc nutare, ambiguiſque niti principiis. Caeterum quae cauſſa fecit, ut ſplendidiſſimum illud Metaurenſis Provinciae lumen, & ornamentum HAN. OLIVERIVS in aureo de *Piſauri conditoribus* libro eam amplexaretur, teneretque ſententiam, Graecos homines ex Peloponneſo ſolventes, brevique maris trajectu Picenum appulſos Piſaurum fundaſſe [4]; eadem mihi maximo eſt argumento, ut credam Oliverium marmor ex ipſo Peloponneſo, cum quo perfacile eſt Picentibus commercium, potius quam aliunde in Picenum perveniſſe.

Quis autem in antiquitatis cognitione paullo verſatior non novit Triclinium, & concaenationem, qualis in hac aedicula

1 VAILLANT *Num. Graece loquentes*. HARDVINVS *Num. Populor. & Urbium*.

2 *Ibidem*.

3 *Ib.* Vid. praeterea CL. MAZOCHIVM *Prodrom. ad Heracleae Pſephiſmata*. *Diatrib.* II. *cap.* VII.

4 *Della Fondazione di Peſaro, e delle medaglie Greche &c.*

dicula exſculpta viſitur, ſymbolum eſſe a Graecis [1], juxta ac Etruſcis [2] ad ſepulcra ornanda ſaepenumero uſurpatum? In quo tamen video eſſe rerum funebrium enarratores, qui minus perite faciunt, dum Plutarchi locum ad eam conſuetudinem demonſtrandam in hunc ſenſum detorquent. Chaeronenſis Biographus Iſocratis ſepulcrum partite deſcribens, inquit: ἦν δέ καὶ αὐτοῦ τράπεζα πλησίον ἔχουσα ποιητάς τε καὶ τοὺς διδασκάλους αὐτοῦ. *fuit etiam prope tabula referens poetas, & magiſtros ipſius* [3]. Porro illa ancipitis, variaeque ſignificationis vox τράπεζα memoratis ſcriptoribus fucum fecit, ut crederent poëtas, & magiſtros Iſocratis menſae aſſidentes, convivanteſque illic fuiſſe expreſſos, quum nihil minus ſignificent Plutarchi verba, nec ibi τράπεζα reddi debeat *menſa*, ſed *tabula*: quod manifeſto colligitur ex contermina illius oratione. Siquidem Apharei Iſocratis F., ipſiuſque conſaguineorum ſepulcra Iſocrateo circumpoſita recenſens, toreumata ubique τραπέζας appellat, quum tamen imagines in τραπέζαις caelatae non epulantes, ſed alio prorſus geſtu effictae dicantur. Τράπεζαι ergo eo loci tabulae anaglypticae poëtas, & Iſocratis magiſtros referentes, non τρικλίνια Plutarcho ſunt;

Apparata jam caena, inlatiſque in menſam dapibus, accubat in thoro culcita inſtructo, dorſo pulvillis ſuffulto, & lodice, ſeu ſindone caenatoria coopertus vir in cubitum, more convivantium [4], reclinatus, reliquo corpore in longum porrecto. Manum capiti injicit adoleſcenti, quiproxime aſſidet, varbaque cum illo ſerere videtur. Menſa ferculis referta tripes, & orbicularis eſt. Quam quidem menſarum formam omnium antiquiſſimam exſtitiſſe apud Athenaeum contendit Myrleanus [5]; a quo diſſidet Eustathius, cujus judicio

1 Montfaucon *Antiquité Expliquée Tom. V. Muſ. Veron. Tab.* II. *num.* I. *Tab.* IV. *num.* 3. 9.

2 Gorius *Muſeum Etruſcum Tom.* III. *Claſſe* III. *Tab.* XIV. *Tab.* XXII. inter Monumenta Muſei Guarnacii.

3 *De* x. *Rhetor. in Iſocrate.*

4 Confer Plutarchum *Sympoſ. lib.* V. *quaeſt.* VI.

5 *Deipnoſoph. lib.* XI. *cap.* XII.

dicio τράπεζαι antequam rotundarentur, oblongam praeſeferebant figuram [1]. Juxta menſam ingens cernitur lebes, quo convivalis *Podonipſiae* ritum indicari puto; receptum enim, magnoque ſtudio retentum penes Graecos ab Heroica uſque memoria, ut antequam accumberent cibum capturi, pedum, totiuſque corporis ſordes lavacro ponerent, atque purgarent: cujus moris exempla ex veterrima hiſtoria repetita alias recenſuimus [2]. Quibus in rebus dum noſtra verſatur oratio, ſatis intelligo, eſſe a me adhibendam certam quamdam rationem, moderationemque dicendi, ne quae de Graecorum conviviis, ac tricliniis multorum ſermone protrita, & pluries diſputata ſunt [3], inepte recudam. Denique noſtro in ſchemate convivantibus miniſtraturus adeſt ſervus οἰνοχόος, quem ſcalptor, ut ad veterum *Pocillatorum* ſpeciem accommodaret, puerum delicatulum, & ad genua ſuccinctum ſcitiſſime finxit. Quo uſque pertigerit immanis horum puerorum luxus, tam docte, copioſeque tradiderunt MIDDLETONIVS [4], & WALCHIVS [5], ut nihil pene dicendum nobis reliquum fecerint. Quamvis autem temporum longinquitas, atque edacitas in Piſaurenſi marmore Pocillatoris lineamenta, effigiemque magna parte deleverit, plane non ambigo vel lancem, vel *Cornu potorium* [6] eſſe, quod is manu gerit:

1 *Ad Odyſs. A. v.* 138.

2 *De Sacris Chriſtianor. Balneis cap.* XII.

3 CORNARIVS *de Conviviis veterum Graecor.* ARRENIVS *de Sympoſio Graecorum*. OSTERMANNVS *de convivandi, caenandique veter. ritibus*. SCHWARZIVS *de Comeſſationibus veter. ex Graecis, Romaniſque reliquiis*. AEMIGNA *de Conviviis Feſtivis aevi antiqui*. STVCHIVS *Antiquitates Convivales*. PVTEANVS *Reliquiae Convivii priſci*. Adde his notiſſimos ſcriptores BACIVM, CIACONIVM, LAVRENTIVM, CASALIVM, BVLENGERVM &c.

4 *Eruditae Antiquitatis Monumenta. ad Tab.* IX. *num.* III.

5 *Pocillator Phrygius*. Inter ACTA SOCIETATIS LATINAE JENENSIS. *Volum.* II.

6 Cornua poculorum loco ab antiquiſſimis populis adhibita fuiſſe NONNVS, ATHENAEVS, AELIANVS, aliique memorant. Quod non tam ex rudibus, ſimplicibuſque illorum temporum moribus videtur repe-

gerit : hoc enim geſtu expreſſi occurrunt pueri τραπεζοκόμοι in antiquis picturis, toreumatis, aeneiſque ſigillis, quibus affluunt Italorum Cimelia [1]. Virgines etiam a Graecis ut vina convivis miniſtrarent, eiſque famularentur, in triclinium accitas, adductaſque fuiſſe, perhibet EVSTATHIVS [2].

Sed quorſum in ſepulcris, ubi atra, moeſtaque omnia, epulum, & compotationes, & hilaritatis indicia? Monuimus jam in tertii Anaglyphi interpretatione fuiſſe in more poſitum, inſtitutoque Graecorum, ut quae in funere celebrando obtinebant caeremoniae, eaedem a quadratariis ad ſepulcrorum ornatum marmore inducerentur. Jamvero quum exploratum ſit, inter funebres honores praeter deductionis pompam, panegyrim, certamina, libationes, νεκρικὸν συμπόσιον recenſeri, quod Latini uſi verbo ambiguae

repetendum, quam ex majori potandi ſecuritate; cornu enim medicinali virtute ad venena reſtinguenda donari rebantur. Vid. MERCVRIALEM *Variar. lect. Lib.* I. XXII. LANGIVM *in epiſtolis Medicis ep.* XXIX. BARTHOLINVM *de Medicina Danorum diſput.* VII. Mos exinde obtinuit, ut pocula metallica in cornu formam curvata fabricarentur: quare etiam vaſcula ſacris miniſteriis addicta hac figura donabantur. Talis fuit guttus ad oleum ſervandum, quo inungebantur Reges Iſrael., de quo plura SCHINDLERVS *in Lexico Pentaglotto*, & DOVGHETVS *de Calicibus cap.* X. Tale Cornu argenteum, quod Apollini Didymaeo obtulit Seleucus Callinicus. In *Muſeo Cortonenſi Tab.* XVI. Sacerdos Priapi libamen cornu in aram affundit. Chriſtianis tamen, ne calicibus corneis ad ſanctum, & immaculatum ſacrificium uterentur, vetitum legitur a Concilio Calchutenſi an. DCCLXXXVIII. *Can.* X. In conviviis autem, & compotationibus pocula κερατοειδῆα fuiſſe ex infinitis propemodum monumentis liquet; utque recentius detecta commemorem, adi *le Pitture di Ercolano Tom.* I. *Tab.* XIV.; atque CL. SCHMIDTIVM *Recueil d'Antiquités trouvées a Avenches &c. Planche* VIII.

1 *Muſeum Romanum. Tab.* XXXVIII. XXXIX. BERTOLI *Antichità di Aquileja pag.* 29. PASSERIVS *Exercit. de Genio Domeſtico*. Quum obvia ſint haec Procillatorum ſigilla, edenda minime cenſui, quae exſtant in MVSEO NANIO, quamvis exquiſito opere elaborata.

2 *In Iliad.* Γ. Praeter Pocillatorem, cacabum, & cornu potorium ferentem, puellam quoque convivis miniſtrantem refert tabula anaglyptica ex Zacyntho ſuperioribus annis in NANIORVM Gazam tranſvecta, quam edidimus Parte I. pag. 110. Num illa ſepulcralibus monumentis ſit accenſenda, dubium mihi eſt; pro domeſtici enim ſympoſii imagine jure optimo haberi poterit.

guae etymologiae, *Silicernium* [1] dixere, ad illud religioſum ferale convivium alludere videtur concoenatio in ſepulcris adumbrata. Hanc vero ab ipſis Troicis temporibus uſitatam, HOMERVS docet. Namque in Iliade legere eſt, Achillem officiis Patroclo mortuo erogatis, ſocios ad epulum accerſiſſe [2]; & Trojanos, juſtis Hectori perſolutis, in Priami regia convivio exceptos fuiſſe [3]. Porro τὸ περίδειπνον, ſive exequialis coena, ſi DEMOSTHENI [4], & LVCIANO in περὶ πένθους credendum, videtur naturae inſtinctu invecta ad luctum pellendum, vireſque conſanguineorum poſt triduam lamentationem, moeroremque redintegrandas. Sed revera hujus moris cauſſa ex penitioribus θεολογουμένοις eſt accerſenda. Scilicet perſuaſum fuerat Ethnicis, pios Manes fame adhuc exſtimulari, Manes vino, mulſo, libationibus in ſepulcrum inlatis ali, Manes denique in triclinio oberrare, paratiſque inibi eduliis veſci; quod quamvis ipſi LVCIANO in Ἐπισκοποῦντες deridiculum videretur, attamen Charonti in eo dialogo poſtulanti cur ſimilia convivia agitarentur, Mercurius ſic reſpondens inducitur: *οὐκ οἶδα ὦ πορθμεῦ τί ταῦτα πρὸς τοὺς ἐν ἅδου. πεπιστεύκασι δ' οὖν τὰς ψυχὰς ἀναπεμπομένας κάτωθεν, δειπνεῖν μὲν ὡς οἷόν τε περιπετομένας τὴν κνίσσαν, καὶ τὸν καπνὸν, πίνειν δὲ ἀπὸ τοῦ βόθρου τὸ μελίκρατον. Neſcio, Portitor, quid haec ad eos pertineant, qui apud inferos agunt. Verum illis perſuaſum eſt, animas ab inferis reduces circum nidorem, & fumum quantum poſſunt, volitando coenare, & ex fovea mulſum bibere* [5]. Quae opinio,

 ut

1 Diverſas hujus vocis originationes adnotavit CL. FR. EVGENIVS MARCHIO GVASCVS. *I Riti Funebri di Roma Pagana Parte* IV. §. XXXIV. *& ſequ.*

2 Ψ. *v.* 28.

3 Ω. *v.* 801.

4 *Or. de Corona.*

5 Quid ſibi velint poſtrema iſthaec LVCIANI verba declarat locus HOMERI *Odyſs.* λ. *v.* 26. ubi Vlyſſes mulſum, dulce merum, molam albam in foſſam cubitalem Manium gratia immiſiſſe dicitur. Scrobe circa ſepulcrum facta, unguenta etiam ſe affudiſſe narrat CLIDEMVS in libro

Ἐξη-

ut in ſepulcralibus anaglyptis vividius ante oculos proponeretur, homines ibi tumulati menſae accumbentes, & cum propinquis obſnoia deguſtantes a lapicidis effingebantur. Ergo in marmore Oliverio convivium ideo exſculptum fuiſſe credi debet, ut palam fieret, caenam funeris Apolloniorum Manibus fuiſſe ab heredibus inſtructam. Manes autem in ejuſmodi toreumatis plerumque referunt homines, ſuprema amoris officia, triſtemque amplexum parentibus exhibentes. Qua imaginum, rerumque copulatione & vitae exitus, animique ex corpore diſceſſus, inſimulque Silicernii rirus demonſtratur. Quandoquidem vero geminum Apollonium memorat inſcriptio, atque ab artificibus ſaepenu-

---


Ἐξηγητικῷ apud ATHENAEVM *lib.* x. Nimirum animae ſtatim ad bibendas., edendaſque ejuſmodi libationes avide credebantur convolare. Irrepſerat quondam in Chriſtianam Rempub. impia haec ſuperſtitio, ut epulae ad ſepulcra deferrentur; turba enim imperitorum, in qua non conſilium, non ratio, non diſcrimen eſt, defunctos cibariis indigere, dapes depoſcere, hiſque delectari, in animum induxerat ſibi. Sed haec deteſtanda *Silicernia*, has ſceleſtas parentationes, hanc nequiſſimam improbitatem graviſſimis cohortationibus coërcendam ſuſceperunt AVGVSTINVS *de Moribus Eccleſ. cap.* XXXIV. tum etiam *ad Aurel. Carthag.* GAVDENTIVS Brixiae Epiſc. *Serm.* IV. HINCMARVS Rhemenſis *in Capitularibus*. Porro quum de Eccleſiae ritibus, inſtitutiſque ſermo eſt, vix quicquam fidendum Heterodoxis ſcriptoribus, qui pro inſita ſibi malevolentia, modo in invidiam apud ſuos nos adducant, Patrum teſtimonia pervertere, mireque depravare minime verentur. Hoc certe vitio tenebatur Tubingenſis Profeſſor JOH. NICOLAI, quum de Chriſtianorum Silicernio diſputaret: *de Luctu Chriſtianor. cap.* XXIII. Mitto convivia olim ad Martyrum dormitoria, aut in Baſilicarum dedicationibus peracta, ipſaſque *Agapas* cum funebribus coenis ab illo perperam confundi, ideoque Conciliorum Carthaginenſis, Laodiceni, Arelatenſis Canones, quo non pertinent, deduci. Vt ſuae factionis Aſſeclis imponeret, Romanam Eccleſiam antiqua, damnabilique ſuperſtitione adhuc obligari; poſtquam ex noſtrorum ſcriptorum fide prodidit, narravitque hanc peſſimam conſuetudinem maxime obtinuiſſe die XXII. Februarii, quo feſtum Cathedrae S. Petri apud nos agitur, inquit PAVLVM IV. *hoc feſtum ſuperſtitioſum ſimul & luxurioſum* reſtituiſſe: quaſi vero doctiſſimus ille Pontifex ſanctioris diſciplinae vindex vetita, jamdiuque ſublata *Silicernia* revocarit. Atqui totum hoc inſultum, & fallax argumentandi genus JOHANNEM NICOLAI vaniloquum rabulam,


penumero retentum morem video, ut in id genus ſculpturis tot homines ad menſam conſiſtentes caelarent, quot inferne deſcripta ſunt defunctorum nomina; ambos fortaſſe repraeſentare animo intendit marmorarius, & alterum in thoro decumbentem, ſedentem alterum (utroque enim modo licuit convivare) in hac tabula reddidit: qui quum eſſent conſanguinitate, vel amicitia juncti, ſibi invicem blandiri merito finguntur. Quod ſi vir aetate minor heres, vel filius ſuperſtes ſit, qui περίδειπνον apparavit, deſitque in ſchemate alteruter Apolloniorum; cauſſa, cur epigrammata cum emblematis aliquando minime cohaereant, jam eſt a me ſuperius explicata [1].

SYL-

lam, Chriſtianae doctrinae prorſus expertem manifeſto evincit. Nam primo PAVLVS IV. nequaquam celebritatem *Cathedrae S. Petri apud Antiochiam*, quae in omnibus vetuſtiſſimis ſacris Hemerologiis notatur VIII. Kalendas Martias, ſed anniverſarium *Cathedrae S. Petri, qua primum Romae ſedit*, aliquandiu intermiſſum reſtituit, quod Eccleſiaſticis tabulis conſignatum legitur XV. Kalendas Februarias. Ergo ſic inter ſe diſcrepant tempora, ut quae uno die quondam acta perhibentur, in alterum ab impudentiſſimo homine transfundi nequeant. Praeterea ponderoſas, Latinaeque majeſtatis pleniſſimas Pontificis illius litteras, datas octavo Idus Januar. an. MDLVII. quas memorat, ne vidiſſe quidem ſe oſtendit Tubingenſis Anteceſſor. Vbi enim de ferculis, de coena, de convivio ad ſepulcra concelebrando vel unum excidit verbum? Vide caecam, & incautam iſtorum calumniandi libidinem!

1 *Commentar. ad Num.* II.





SYLLABVS
INSCRIPTIONVM SEPVLCRALIVM
QVAE
IN HAC QVARTA PARTE RECENSENTVR.

Alexandri	190
Apollonii	239
Artemocleae	183
Cleoxenae	183
Dori	220
Epictesis	183
Eugeniae	239
Hermionae	207
Gancii	207
Juliae Alexandrae	215
Lamiae	207
Leontium	215
Lycisci	207
Macedonis	220
Menodotae	239
Pareſiae	239
Philumena	239
Phormionis	207
Piſitelis	215
Pollae	239
Prothymi	239
Sophii	207
Soſicratis	215
Soſigeniae	220
Themiſonis	207

ΕΠΙ-

ΕΠΙΜΕΤΡΟΝ

ΕΠΙΜΕΤΡΟΝ

QVO

GRAECAE SCVLPTVRAE ΑΓΡΑΦΟΥ

EXPLICATIO TENTATVR.



E Graecia 1759 Alt. palm. Rom: 8. 2.

EX quo in manus venit praeclariſſimi hujus anaglypti exemplar, quamvis diligentiſſimam eidem interpretando curam intenderim, ancipiti nihilominus cogitatione jugiter ſuſpenſus, inopſque conſilii numquam explorate deprehendere, probeque dijudicare potui, quid artifici revera propoſitum fuerit in hoc elaboratiſſimo MVSEI NANII cimelio effingere, atque demonſtrare. Porro ſi in antiquitatis ſtudio, uti in reliquis artibus, ac diſciplinis accidit, eſt ſemper aliquid tanta caligine circumfuſum, ut veri inveniendi ſpes nulla effulgeat; ego equidem eo in numero inſigne hoc monumentum haberi oportere cenſeo, ex quo nihil certi conijciendo, divinandoque elici potuit a ſolertiſſimis *ἀρχαιολόγοις*. Ne tamen praeſtantiſſimum lapidem quavis explicatione deſtitutum ederem, id ego praeſtandum duxi, quod ARISTOTELES in commentariolo *περὶ τῶν θαυμασίων ἀκουσμάτων* memoriae prodidit, quondam praeſtitiſſe Aenienſes Theſſaliae populos [1]. Siquidem, quum Hypatae ad ſinum Maliacum columnam reperiſſent, antiquiſſimis litteris ſcriptam, nec populares, quid ſibi illae vellent, ſatis intelligerent, ſtylobatam deſperatae lectionis Athenas mittendam cenſuerunt; non ambigentes, quin in illo beatiſſimo omnium doctrinarum domicilio forent, qui adeo obvolutum *ἄινιγμα* explanarent. Prope ad Aenianenſium morem feci, ut ſi minus deſperatam obſcuritatem expugnarem, lucem ſaltem aliquam indipiſcerer: idcirco toreumatis apographum ad viros clariſſimos miſi, quos in veteribus monumentis aeſtimandis, interpretandiſque & eminenti ingenio pollere, & ſublimiori quadam doctrina affluere ſciebam. Itaque non aptiori commentario a me inſtrui, adornarique poſſe putavi ejuſmodi marmor, quam ſi conjecturas, ac divinatio-

1 *De Mirabil Auſcultat. num.* 135.

nationes, quas hi eruditi vetuſtatis indagatores trepidi, dubitanteſque protulerunt, heic expromerem atque adnectерem. Tum meum de his judicium, ſenſumque aperiam; ex quo intelligetur, quamobrem ejuſmodi marmor ſepulcralibus copulaverim, atque in hunc poſtremum locum rejecerim.



Alta Pal. Rom 3. 2

§. I.

Ac primo ingenioſum ſane commentum eſt, ſi quod aliud, illorum ſententia, qui rerum Romanarum primordia ibi effiсta, expreſſaque agnoſcunt. Nimirum hominem galea, thorace, haſta, & parazonio inſtructum, *Martem* referre putant. Licet enim fortiſſimus, invictuſque Deus perſaepe nudus occurrat, interdum etiam militari veſtitu donatur [1]. Feminam vero ſedentem, *Rheam Silviam*, ſive *Iliam* Numitoris Albanorum Regis filiam eſſe nulli dubitant, quae a Marte vi compreſſa gemino partu *Romulum*, *& Remum* edidit [2]; ideoque ſolutam, ereptamque ſibi **παρθενίην ζώνην** manu tenere credunt, ut ſe jam matrem evaſiſſe oſtendat [3]. Vnum *Romulum* ut pote natu potiorem, atque prae fratre in Deos relatum [4] ad Iliae pedes ibidem ab artifice ſub pugionis forma commodiſſime ſculptum exiſtimant. Cui demum interpretationi ſummam, inquiunt, accedere probabilitatem ex adblandientis *Lupae* effigie; quandoquidem

Lacte quis infantem neſcit creviſſe ferino?

Debili tamen huic conjecturae ſuffragari minime poſſum, quae tota, veluti machina male ſtructa, leviſſimo impulſu diruitur, atque vaſtatur. Principio nequaquam intelligitur, quae nam hujus fabulae pars heic ab artifice expreſſa ſit. Namque ſi Mars Iliam adire fingatur, ut vitiaret, depudica-

---

1 Vid. *Muſeum Capitol. Tom.* III. *ad Tab.* XXI.

2 Narrant quotquot gentium Romanarum origines tradunt. Adi, ſi quid eſt opus, GRONOVIUM *de origine Romuli*, BOERNERUM *de Romuli cognomento*, GEBAVERUM *Romulus Illuſtratus*, MULLERUM *de Remo*. &c.

3 Multa ad eam rem collegit CL. SCHLAEGERUS in opere, quod alias laudavimus, *de Diana* ΛΥΣΙΖΩΝΩ.

4 Confer ſupra adductos Scriptores.

dicaretque, quid puer jam in lucem editus? Idemque dicendum, ſi poſt facinus abire putetur; aufugit enim illa uterum gerente. Neque etiam memini in vetuſtis monumentis Iliae filios Romulum, ac Remum diſſociari conſueviſſe, niſi poſt illius apotheoſin. Falluntur qui in nummis **ΚΥΔΩΝΙΑΤΑΝ** puerum lupam lactantem, Romulum interpretantur; eſt is quippe *Miletus* Apollinis, & Argeae filius, cujus eadem exſtitit fortuna, ut a parentibus relictus a lupis innutriretur, quemadmodum ſcriptum reliquit ANTONINUS LIBERALIS [1]. Quod quum in Creta acciderit, pronum fuit Inſulae illius incolis Cydoniatis mirificos conterranei ſui Herois caſus publicae monetae conſignare, atque hunc ipſum typum pecuniae feriendae diutiſſime retinere. Praeterea quid ſervus cum arcula? Nullum enim novimus ad conciliandos, inflammandoſque Martis, Iliaeque animos interceſſiſſe *νυμφευτήν*. Denique non Latinam, ſed Graecam feminam dilucide oſtendunt tum velum, tum veſtis, tum ſuppoſitum pedibus hypopodium: nec Graeci profecto in Romana hiſtoria quaerebant, quae in ſuis anaglyptis effingerent.

§. II.

1 *Metamorph.* §. XXX.

Fictile



E Corcyra 1758.

§. II.

Jam conſideremus eorum opiniones, qui miſſis Latinis fabulamentis, ex Graeca hiſtoria marmoris interpretationem eruere conati ſunt. Fuerunt porro, qui Hectorem ex acie reverſum, uxorem Andromacham alloquentem, puerumque Aſtyanacta, totamque HOMERI narrationem in ſexto Iliados heic videre ſibi viſi ſunt. Horum ſententiae ſuffragantur ſpecie tenus nonnulla Poëtae verba, a quo Hector appellatur **κορυθαίολος** *ingens-galeatus*, **χαλκοκορυστὴς** *aere armatus*; cui thorax, haſta, gladiuſque tribuitur. De Andromache vero ubi maritum reviſit, ſic ab HOMERO dicitur [3]:

Ἔν τ' ἄρα οἱ φῦ χειρὶ, ἔπος τ' ἔφατο . . .

Inque ejus haeſit manu, verbaque fecit.

Quod ſatis apte ab artifice adumbratum putant in muliere, quae hominis apprehenſa dextera, illum proculdubio affari videtur. Poſtremo inquiunt, pugionem trepidantem, pavidum, lacrimabundum, matris veſte latibulum quaerentem, Aſtyanacta mire referre, qui traditur patris aes, criſtamque exhoruiſſe [1]. Atqui omnis iſthaec interpretatio ipſis refutatur Homericis verbis, atque ſententiis, a quibus petita eſt. Enimvero Andromache, ut advenientem Hectorem audivit, morae impatiens, atque turri egreſſa, obviam marito feſtina proceſſit [2]. Perperam ergo contra hiſtoriae fidem domiſeda, & tranquilla heic a ſcalptore exhiberetur, quae ſtans, atque in foro Hectorem amplectens a divino vate deſcribitur. Deinde ſic inter ſe pugnant frontibus adverſis HOMERI narratio, & marmoris **εἰκονισμὸς**, ut


---

1 *Verſ.* 406.
2 *v.* 469.
3 *v.* 394.

ut alter cum altera componi nullo modo queat. Poëta ſiquidem fingit tenellum Aſtyanacta ab ancilla eleganti peplo induta ad Patrem geſtari [1]; contra in marmore humi reptans repraeſentatur. Quum autem expavit horrificum patris viſum, ſi Iliadem legeris, ad bene comptae nutricis ſinum ſe retro convertit inclamans [2]; ſi anaglyphum intuearis, ſe matris ſtola occultat. Fieri ne potuit, ut Homerica hiſtoria adeo alienis, imo contrariis delinearetur imaginibus? Tandem nullus ſervus, nullaque bellua in hanc ſcenam ab HOMERO inducitur. Plane igitur conſtat, Graeci marmoris ὑπόθεσιν non eſſe Hectoris, & Andromachae congreſſum.

§. III.

1 *v.* 399. 2 *v.* 470.



EX Athenis 1760. Alt. pal. R. 1:

§. III.

Parum ſane abfuit, quin deceptus quadam veri ſpecie aſſentirem judicio hominis Clariſſimi exiſtimantis in hoc marmore ſollemnes Achillis, & Deidamiae nuptias demonſtrari: adeo multa ſunt in propoſito ſchemate, quae cum Troica hiſtoria congruere videntur. Nam etſi artifex principem hujus tabulae imaginem non his ipſis armis decoraverit, quae ab HOMERO [1], & Q. CALABRO [2] Achilli data ſunt; nihilominus pro impavido, & ad pericula fortiſſimo Pelei filio haberi is fortaſſe poterit. Rurſus flammeum, veſtis elegans, ſedes praealta, ornataque revera Regis filiam decent, qualis fuit Deidamia, Lycomede Scyri Rege progenita. Quae quum eſſet tacito jam cognita furto, Zonam fallaci ſibi manu revinctam oſtendit. Puer vero, Pyrrhus primum, tum Neoptolemus dictus [3], quem ex Deidamia clam ſuſceperat Achilles, ab eo ad Lycomedis pedes projectus a STATIO fingitur, ut ſocer, avuſque ille jam factus, filiam ſibi in matrimonium contradere non abnueret [4]. Quare ſolo repens non inconvenienter exſculpi poterat. Neque etiam a Graecorum moribus diſſidet ſervus δῶρα προγαμιαῖα, amoris, liberalitatiſque pignora deferens. Verum ſi quae contra afferri poſſunt, aequa lance expendantur, vereor ne ab ingenioſa divinatione ſit recedendum. Primo equidem ſponſi non videntur in manum convenire nuptialibus his ritibus, atque eo apparatu, quo ſolebant a Graecis peragi connubia [5]. Nulla heic pompa, nullus cognatorum concurſus;

---

1 *Iliad. T. v. 368. ſequ.*

2 *In Praetermiſſ. ab Homero lib.* V. *initio*.

3 APOLLODORVS *lib.* III. *cap.* XII.

4 *Achilleidos lib.* IV. *v.* 233. *& ſequ.*

5 Multa procul dubio in Romanorum nuptiis peragi conſueverunt, fuie a CASALIO, BRISSONIO, HOTOMANNO, LAVRENTIO, SAGITTARIO, FVNCIO, LYDIO, SALENIO, DRAGHEMIO explicata, quae Graecis etiam fuerunt communia. Sed peculiares, proprioſque nonnullos

ſus; nemo neonuptis acclamat; abſunt tripudii, ſacrificii, deductionis indicia; quum tamen Achillis, Deidamiaeque nuptiae in Lycomedis regia ſplendide, hilariterque celebratae a Papinio tradantur [1]. Illud etiam huic explicationi adverſatur, quod armati hominis effigies nequaquam referat Achillei oris, vultuſque lineamenta. Ideo enim Deidamiae inſidias feliciter ſtruxit, quia delicatulus, & imberbis inter caeteras Lycomedis puellas educatus, muliebrique veſte indutus ſexum facile potuit ſimulare, ſive ut cecinit Bion Smyrnaeus [2] in Ἐπιθαλαμίῳ Ἀχιλλέως, καὶ Δηϊδαμείας:

Κάδδ᾽ ἄρ᾽ ἶσον τήναις θηλύνετο καὶ τόσον ἄνθος
Χιονέαις πόρφυρε παρειῆς . . . .

Non minus illis effeminabatur, idemque flos
Niveis rubebat in genis . . . .

Atqui hunc ipſum florem, hancque virgineam formam ad nuptias uſque ſic retinuit, ut paullo ante Graiis Ducibus impoſuerit. Non poterat ergo Achilles ita robuſtus, barbatus, lacertoſus, valido pectore, tamquam miles, qui laboribus occalluit, repraeſentari.

nullos ritus in celebrandis connubiis Graecos habuiſſe, facile patebit legenti Hauptmanni *Commentationem de Nuptiis Graecorum.* Item Joh. Andr. Philippi *Diſſertationem de Nuptiis veter. Graecorum.*

1 *In Achilleide l. c.*

2 *Idyll.* VII. 18. 19. Sequor lectionem omnium emendatiſſimam Johannis Schier *in Bionis*, & *Moſchi* editione, quam annis ſuperioribus accuratiſſime procuravit.

§. IV.

Vtinam vero exploſis, rejectiſque aliorum ſententiis probabiliorem hujus anaglyphi interpretationem proferre liceret! Sed illud Ciceronis eſt nunc mihi uſurpandum: *nec ego nunc ipſe aliquid afferam melius; & quid non ſit, citius, quam quid ſit, dicam* [1]. Si quid tamen in his rebus audere fas eſt, in ſepulcralium potius marmorum claſſem recenſeri illud poſſe exiſtinaverim. Neque in hujus meae divinationis ingreſſu ab ſuſcepta animo ſententia dehortatur, quod a marmore abſit conſueta necrologica epigraphe. Siquidem ut anaglyptici operis magnitudini reſponderet, litteris grandiuſculis exarata eſſe debuit. Praeterea quum ab illuſtri, ac divite aliquo copiarum Duce, ut res ipſa loquitur, monumentum hoc uxori poſitum fuerit, nonnihil de illius nobilitate, muneribus, factiſque inſcriptio ipſa probabiliter complectebatur. Fortaſſe etiam verſibus erat comprehenſa, quandoquidem metricarum inſcriptionum genus in clariſſimorum hominum tumulis fuit Graecis perfamiliare. Quibus rebus deſcribendis quum non ſatis ſpatii in hoc lapide relinqueretur, neceſſe fuit, totum epigramma in altero inſculpi, quem nondum in lucem ſors extulit. Quid tamen litteras quaerimus, quum omnis anaglyphi delineatio uſitata in ſepulcris emblemata nobis manifeſto objiciat? Annon mulierum vita decedentium geſtus, poſituſque ſimiliter expreſſus viſitur in ſepulcris, quae ſuperiore paragrapho retulimus? Annon heic etiam uxor languens marito interitum ipſius acerbiſſime ferenti dat dexteram, ut Hegio Hermiona [2]? Quod ſi loco puellae muliebrem ſupellectilem deferentis, ut in Philumenae, Pareſiaeque tumulis [3], adſtat **Κάμιλλος** cumerum recluſum, ſive ciſtam nuptialium elegantiarum morienti

---

1 *De Nat. Deor. lib.* I. *cap.*
2 *Num.* I.
3 *Num.* III. & VI.

rienti Feminae exhibens ; ex ea differentia ſumma hujus mulieris nobilitas , quam alioquin infrequens ſepulcri magnitudo , & heroica mariti indumenta commendant , evinci poſſe videtur ; ut pote quae more Auguſtarum *Servos ab ornamentis* [1] habuerit . Annon fuit conſuetudinis , ut pueri , quos moriens mater reliquerat , prope illam in ſepulcro triſtes , dolenteſque effingerentur ? Ibi autem ſuperſtes filius , ideo caelatus cernitur infantuli ſpecie , qui nondum certos figere greſſus , pedibuſque ſtare noverat , quod infelix mater (ut interpretor) illo vix in lucem edito , diem extremum morte confecerit . Quae conjectura multo fit ad veritatem propenſior ex mulieris geſtu , atque ex **ζώνη** , quam laeva manu tenet . Vt enim ad illa PINDARI verba , ubi Evadnem partum daturam deſcribit , optime , ingenioſeque animadverterunt SCHMIDIVS [2] , amicuſque meus I. C. SCHLAEGERVS [3] , *Zona* recincta ſaepe etiam *Puerperii* ſymbolum eſt . Itaque Mater cingulo ad infantem converſo , videtur teſtificari , ſe illum *ſub zona portaſſe* , *eaque depoſita, mox peperiſſe* [4] . Illud denique eruditos viros minime praeterit , conſuetudine receptum fuiſſe apud Graecos , ut mortuorum proprietates , ornamenta , laudes , vitia etiam **ἀλληγορικῶς** demonſtrarent , inſculptis in illorum ſepulcris animalium imaginibus . Sic in Antipatri Sydonii tumulo , qui fuerat inſignis vates , *Avem* cantus dulciſoni indicem ſculptor expreſſit [5] ; in Lyſidicae vero , quae vigil , ſollicitaque familiae cuſtos exſtiterat , *Gallum* [6] ; in Myrus blandae ſuae ſobo-

1 V. GORIVM *Columbar. Liviae ad Inſcrition.* LXXXV.

2 *Olymp. Ode* VI.

3 *l. c.*

4 OPPIANI , EVRIPIDIS , & NOSSIDIS Poetriae loca , quibus haec interpretatio mire juvatur , Graecorumque moribus plane conſentanea oſtenditur , non exſcribo , ne quae SCHLAEGERVS jam occupavit iterato depromam .

5 Confer *Sepulcralia Carmina ex Anthologia Graecor. epigrammatum delecta cum notis* JOH. HENRICI LEICHII . *Epig.* XII.

6 *Ibi epig.* XIII.

ſobolis nutricis *Canem* [1]; in acerrimi, ſtrenuique Teleutiae monumento *Leonem* [2]; in Iſocratis flexanimo ſermone potentis *Syrenem* [3]; in Laidis feminae ad omnem libidinem effuſae *Leaenam* [4] &c. Igitur vero perquam ſimillimum exiſtit, animal ſub demortuae mulieris ſede exſculptum aliquam illius virtutem, laudèmque ſignificare. Eſt autem animal non digitatis, ſed biſulcis pedibus, quorum unum ad belluae naturam declarandam aliquanto exporrectum ſupra infantuli pedem de induſtria artifex effinxit [5]. Eſt praeterea lanigerum, capite villoſo, pilis utrinque largius dependentibus; quales apud Arcadas, Mileſios, Argivoſque ſolent eſſe *Oves* [6]. Etſi vero lapicida in hujus animalis ſpecie delineanda, exprimendaque diligentiam haud probaverit ſuam, nihilominus explicata frons, oculi, nareſque obliquatae, facieſque ſenſim decreſcens pecudis imaginem produnt. At quodnam, quaeſo ſymbolum virtutibus bonae uxoris, & matrisfamilias commendandis accommodatius ſepulcro addi poterat? Exinde enim, pro Ovis ingenio, mirifice oſtenditur, quam placidis moribus illa exſtiterit, quantopere ad mariti voluntatem expedita fuerit, dictoque illius obſequens; ut domi ſe modeſta contineret, ut meliorem de ſe in dies ſpem faceret. Qua in re ne quid arbitratu meo decèrnere videar, teſtem, vademque dabo AELIANVM, a quo ſcriptum eſt [7]: **ἐυπειθέςατα δὲ ἄρα τῶν ζώων τὰ πρόβατα ἦν, καὶ ἀρχεῖσθαι**

1 *Epig.* XIV. Saepe equidem *Catuli* effigies ſepulcris inſculpta viſitur, neque tamen ubique eodem alludit, quo in Myrus tumulo ſpectare perhibetur. Confer REISKIVM *de Canibus in nummis*, *&* *inſcriptionibus &c.*

2 *Ep.* X. Crebro hoc emblema ad animi magnitudinem demonſtrandam, illuſtrium virorum ſepulcris impoſitum fuiſſe, docet celeberrimus PASSERIVS, accitis ex Pauſania, Tabulaque Iliaca exemplis. *Oſſervazioni. Sezzione* IV. *pag.* XXX.

3 PLVTARCH. *in Vit. Iſocrat. de* X. *Rhetor.*

4 PAVSANIAS *in Corinthiacis &c.*

5 Ex quo rurſus exploditur prima ex recenſitis interpretatio de *Romuli Lupa*.

6 ALDROVANDVS *De Quadrupedibus Biſulcis lib.* I. *cap.* VIII.

7 *De Animalibus lib.* VII. *cap.* XXVII.

χεσθαι φύσει πεπαιδευμένα, *Oves prae omnibus animalibus obedientes, & ad parendum a natura edoctae ſunt*. Sed haec multo diſertius tradidit ARTEMIDORVS [1]. ὡς δὲ ἐγὼ ἐτήρησα, πρόβατα ἀνθρώποις ἐοίκασι, διὰ τὸ πείθεσθαι τῷ ποιμένι καὶ συναυλίζεσθαι, καὶ προβιβασμοῦ, καὶ τῆς ἐπὶ τὸ βέλτιον προκοπῆς, ἀπὸ τοῦ ὀνόματος εἰσὶ σημαντικοί *Verum, ut ego obſervavi, oves hominibus ſimiles ſunt, propterea quod obediunt paſtori, & in eadem caula cohabitant. Suntque progreſſus, & profectus in melius, ex ipſo nomine, quo appellantur, ſignificativae*. Sunt autem id genus encomia, quibus mulieres in epitaphiis affici, ornarique conſueverunt. Haec quum ita ſint, nihil in hoc marmore, ab artifice ſculptum video, quod cum ſepulcralibus emblematis non apprime conſentiat, ut proinde in eam claſſem referri poſſe exiſtimem. Interim ſi quid rectius noverint homines litterati, atque in hoc doctrinarum genere verſatiores, refelli libentiſſime patiar, debitiſque laudibus cumulandum ſuſcipiam, qui impervias mihi latebras auſpicato recluſerit, certamque aliquam anaglyphi explicationem ex intima antiquitate petitam dederit.

Liceat nunc mihi, BERNARDE NANI SENATOR AMPLISSIME, cujus petitu, auſpicioque hoc quidquid eſt operis a me exanclatum eſt, Te rurſus affari, Tibique iterum gratulari, quod nulli umquam induſtriae, nullique ſumptui parcens tot praeclara Graecae imprimis venerandae vetuſtatis monumenta diu ſepulta, vel ſquallore obſita, neglectaque in lucem feliciter evocaveris, doctiſque viris ad interiorem quamdam, reconditioremque eruditionem adipiſcendam patere volueris. Equidem avita, ac gentilitia Tibi haec ſtudia ſunt; Majores enim tui nobiliſſimi, ſapientiſſimique, a quibus ad omnem humanitatem fuiſti inſtitutus, Tibi in antiquitate excolenda exemplo ſuo praeluxerunt. Sed familiari Muſeo tanta a Te eſt facta rerum Hellenicarum acceſſio, ut qui in illud pedem intulerit, non modo univerſos Graecorum mores, penitiora illorum inſtituta, abditamque hiſtoriam

1 *Oneirocritic. lib. II. cap. XII.*

riam ipſis oculis pernoſcere queat, ſed in media Graecia verſari ſibi videatur. Effectum hinc plane eſt, ut quemadmodum olim Meſſana, teſte M. TVLLIO [1], maxime gloriabatur de perantiquo Sacrario magna cum dignitate in aedibus C. Heii Mamertini inſtructo, apparatoque, in quo ſigna pulcherrima ſummo artificio elaborata hominem illum ingenioſum, ac ſapientem teſtabantur; ſic in Te, tuamque locupletiſſimam Gazam tamquam in ſplendidiſſimum Venetiarum ornamentum popularium, convenarumque conjecti ſint oculi. Quae autem egregiis hiſce tuis promeritis par umquam poſſit oratio inveniri? Verum quod Tibi nuper a Patribus Conſcriptis delatum eſt celſiſſimum in Republica munus, caeteras omnes ingenii, doctrinaeque laudationes longo poſt ſe intervallo relinquet. Siquidem princeps ſalutis, mentiſque publicae SENATVS omnigenam tuam eruditionem jamdudum miratus, poſtquam in ſummis, atque ſanctioribus Reip. negotiis tractandis, expediendiſque verſatus fueras, Te inter TRIVMVIROS REI LITTERARIAE adlegit. Ex quo ampliſſimo tuae dignitatis gradu, tantum hilaritatis, ſpeique percepit illa elegantioris litteraturae mater, illa bonarum artium omnium educatrix, illa cultiſſimorum virorum ſedes PATAVINA ACADEMIA, ut ſi quid ad immortalia illius decora, atque ornamenta accedere poſſit, id ex ſapientia tua praeſtoletur. Si itaque nulla praeſtantior, ac ſtabilior laus eſt, quam quae ex litterarum nobilitate, & patrocinio dimanat; quamdiu litteris ſuus erit honor, tamdiu NANIORVM nomen vera cum gloria praedicabitur.

---

1 *In Verrem* IV. *cap.* II.

EXPLICIT PARS QVARTA.



Peloponneso — Ex aere — Alt. Pel. P. :

INDEX I.

AVCTORVM, ET LIBRORVM,

QVI

IN SECVNDO VOLVMINE

LAVDANTVR, ILLVSTRANTVR, CASTIGANTVR.

A

ABBADIE 230
ACADEMIA PARISIEN. 257
ACCIAIOLVS (Donatus) 104
ACTA SOCIETATIS JENENSIS 265
. . . (Eruditor. Lipſien.) 29
AELIANVS 21. 39. 265
AEMILIVS PROBVS 46
AEMINGA 265
AENEAS (Gazaeus) 229
AESCHINES RHETOR. 165
AESCHINES 29. 54. 55. 84
AESCHYLVS 111. 21
AETOLVS (Alex.) 222
AGATHIAS 38
AINSWORTVS 35
ALDROVANDVS 284
ANASTASIVS (Sinaita) 231
ANAXIMENES (Lampaſc.) 198
ANSALDVS (C. IN.) 53
AMBROSIVS (S.) 142
ANTHOLOGIA (Graec.) 165
APPIANVS 25. 72. 128
APOLLODORVS 248. 280
APOLLONIVS (Rhodius) 200
APVLEIVS 37. 160
ARGOLVS 182
ARISTIDES 4. 20. 156
ARISTOPHANES 20. 188. 255
ARISTOTELES 11. 13. 14. 16. 113. 198. 264
ARNOBIVS 52
ARRENIVS 265
ARRIANVS 128
ARTEMIDORVS 39. 48. 160. 250. 285
ASCONIVS PEDIANVS. 114
ASTORIVS 187
ATENODORVS 46
ATHENAEVS 142. 250. 264 265. 268
AVBERTVS 180
AVGVSTINVS (S.) 142. 268

B

BACIVS 265
BAIERVS 110. 117
BALDVINVS 226
BARBARVS (Ermolaus) 181
BARONVS 12
BARTHIVS 39. 75. 84
BARTHELEMY 256
BARTOLINVS 266

Barvfaldvs (Hieronym.) 180
Basilivs 142
Bayervs (Theodor. Sigef.) 83
Bayfivs 86
Bebelivs 185
Begervs 108. 248
Bergervs (I. Guil.) 53. 137
Bergierivs 55
Bernoldvs 106
Bertoli 266
B dermannvs 45
Bimardvs 242
Binghamvs 221
Bion 281
Blanchinivs (Franc.) 87
Blaschvs 13
Boeclervs 83
Boernervs 276
Boissardvs 243
Bonada 10. 192. 242
Bovhierivs 73. 188
Bovlanvilliersivs 13
Bos (du) 10
Botteraivs 90
Brissonivs 84. 280
Bvlengervs 38. 265
Bvrgravivs 181

C

Caimivs 12
Calchvtense Cioncilivm 266
Callimachvs 20. 207
Callistratvs 54
Calogerà (Angelus) 253
Calmetvs 229
Campianvs (Auguſt.) 70
Camvtivs 12
Capitolinvs 71
Carmina Sepvlcralia . 283
Carpovivs (Paul. Theod.) 28
Caryophilvs (Blaſius) 44. 107
Casalivs 265. 280
Casavbonvs 105. 228
Casselivs 12
Cassiodorvs 87. 117
Castellvs (Gabriel) 71
Carry 28. 259
Caylvs (de Comes) 28. 41. 47
Cecconi 256
Cellarivs 103
Celsvs 161
Chamillartivs 250
Chifletivs (Joh. Jac.) 180
Chisvlivs 219
Chladenivs 13
Chronicon Alexandrin 106
Chrysostomvs (Joh.) 142. 225
Ciaconivs 265
Cicero 9. 25. 26. 35. 36. 47. 52. 60. 61. 68. 84. 96. 97. 103. 105. 106. 116. 134. 135. 136. 140. 142. 148. 159. 167. 168. 216. 221. 282. 286
Cle-

CLEMENS (Alex.) 46
CLERICVS (Daniel) 58
CLIDEMVS 268
CLVSIVS 162
CODEX THEODOS 149
COLLERVS 230
COLVMBVS 65. 137
CONRADIVS 13
CONRINGIVS (Herman.) 174
CONSTANTINVS (Imperat.) 112
CORNARIVS (Janus) 265
CORNEVS (Thomas) 11
CORSINVS (Eduard. 37. 50 114. 227 260
COSTADONVS (Anſelm.) 231
COVTANTIVS 228
CRAGIVS 135
CVDWORTVS 174. 230
CVIACIVS 70
CVPERVS 68. 158
CVRTIVS 184
CVSPINIANVS 87
CYRIACVS 86
CYRILLVS (Gloſſ.) 109

D

DAMASCENVS (Nic.) 198
DAPERVS 55
DASQVIVS 103
DELECAMPIVS 184
DEMONTIOSIVS 54
DEMOSTHENES 15. 28. 29. 44. 48. 84. 139. 198. 267
DICAEARCHVS 20. 41
DIODORVS 39. 46. 53. 61. 159. 128. 129
DIONYSIVS (Halicarn.) 15. 104. 140
DIO (Chryſoſtomus) 36. 60 68. 148
DIO CASSIVS 25. 63. 67. 76
DIOSCORIDES 161
DIPLOMATICAE NOVAE AVCTORES 257
DITTONVS 230
DODWELLVS 114
DOLETVS 86
DOVGHETVS 266
DRAGHEMIVS 280

E

EMMIVS 82
EOBANVS 224
ERICIVS 181
ETYMOLOGVS 216
EVNAPIVS 160
EVRIPIDES 127. 199. 283
EVSEBIVS (Caeſarien.) 136. 225
EVSTATHIVS 111. 39. 137. 264. 266
EVTROPIVS 80
EYBEN (Ab) 13

F

FABIVS PICTOR 106
FABRETTVS 188
FABRICIVS 58. 104. 198. 226
FALKIVS (Adolph.) 13

Fassonivs (Liberatus) 174
Fasti Vindobonen. 116
Fasti Graeci 87
Fellervs 182
Fenelivs 229
Ferrarivs (Octav.) 182
Ferretivs 10
Festvs 109
Feveleinivs 90
Fleetwood 227
Florvs 184. 216
Fovrmontivs (Mich.) 18. 256
Freinshemivs 84
Freretvs 18
Frigelivs 11. 34. 68
Froelichivs 73. 108 258
Fvncivs 13. 68. 280
Fvriettvs (Alex. Cardin.) 256

G

Galenvs 109. 161. 164
Gallandvs 90
Gallonivs 226
Gavdentivs 268
Gebavervs 276
Gellivs 106. 222
Gentilivs 13
Giacomellvs (M. A.) 194
Glandorpivs 104. 105
Glyca (Michael) 160
Goetzivs 90
Govgetvs 39. 45
Goltzivs 122. 216
Gorivs 185. 264. 283
Gothofredvs 70. 75
Graziolivs 243
Groningensia (Miſcellanea) 4
Gronovivs 34. 276
Grossevs (De Boze) 4
Grvchivs 106
Grvnervs (Frid.) 106
Grvtervs 56. 158. 159. 163. 188. 227. 242
Gvaltherivs 33. 143
Gvaricvs 37
Gvascvs (Fr. Eugenius) 267
Gvrtlervs 230
Gvrtilivs 12
Gvtherivs 70. 84. 180

H

Hagemanivs 12
Hagenbvchivs 73
Hardvinvs 73. 113. 126. 184. 263
Harpocration 84
Havercampvs 261
Havptmannvs 281
Haymvs 90. 261
Hectivs 90
Hekelivs 34
Hemmivs 17
Henninges (Hieronym.) 18
Hermansonivs 13
Herodianvs 160
Herodotvs 136. 138. 139. 181
Hesiodvs 248
Hesychivs 39. 56. 157. 222
Hevpelivs 111

Hinc-

Hincmarvs 268
Hoelingivs 45
Hollanderivs 12
Holstenivs 221
Homervs 20. 136. 139. 195. 199. 223. 241. 244. 267. 278. 279. 280
Horativs 11. 168
Hottingervs 222
Hotomannvs 280
Hvdsonvs 41
Hvetivs 174. 230
Hvmfredvs 12. 17
Hyttevillivs 174. 230

I

Jablonski 21
Jamblichvs 111. 63
Idacivs 87. 116
Joseph (Hebr.) 57. 182. 222
Irmischivs 106
Isocrates 144
Jvlianvs (Imp.) 111. 113 142
Jvlivs Firmicvs 40
Jvs Graecor. 112
Jvstinvs 31. 46. 102
Jvvenalis 168

K

Kippingivs 180
Kircherivs 256
Kirchmannvs 25. 180. 187
Kortholtvs 226

L

Labbevs 87. 116
Lactantivs 136
Laertivs 68. 168
Lakemachervs 222. 241
Lambinvs 105
Lampridivs 70
Langivs 266
Laodicenvm Concil. 225
Lavrentivs 86. 265. 280
Lazarinvs 191
Lazivs 181
Leges XII. Tabvlar. 249
Lemevs 34
Leo (Imp.) 112
Levnclavivs 112
Libanivs 28. 84. 113
Libavivs 181
Liberalis (Antoninus) 277
Licetvs 181
Liebbevs 113
Leichivs (Joh. Henr.) 283
Limborkivs 230
Livivs 4. 26. 61. 82. 102. 103. 104. 114. 120. 216. 251
Lvcanvs 108
Lvcianvs 46. 54. 128. 153. 242. 267
Lvcretivs 199
Lvppivs (Joh. Sam.) 13
Lvpvs (Antonius) 256
Lycophron 124. 223
Lycvrgvs 157
Lydivs 280
Lysias 144

Ma-

M

Macrobivs 41
Maffeivs (Scipio) 50. 65. 243
Majolvs 181
Maittaire 111
Mamachivs 226
Marcianvs 67
Marmora (Andreas) 88
Marmora Capitolina 105
Marmora Oxon 5. 32. 64. 73. 112. 141. 241. 250
Martialis 41
Martinivs (Jacob.) 5
Martorellivs 197
Mathiolivs 162
Matthaevs 12
Mazochivs 82. 260. 263
Mazvchellivs (Comes) 104
Meibomivs 4. 86. 159
Mela 124. 216. 220
Memorie per ſervire alla Storia Letteraria 192
Menetrejvs 13
Mentzelivs 162
Mercvrialis (Hieronym.) 166. 173. 268
Mevrsivs 5. 55. 187
Middletonvs 265
Modestinvs 68. 113. 181
Moebivs 136
Mollervs 182
Mothe (La) 13
Morellivs (Andr.) 5. 73. 103. 105
Morhofivs 104
Moshemivs 174
Montfavconivs 78. 89. 156. 159. 218. 253. 264. 284
Mvllervs 34. 276
Mvratorivs 24. 30. 32. 71. 93. 138. 192. 227. 242. 252
Mvsevm Capitolinvm 276
Cortonense 266
Florent. 73
Gvarnacii 264
Nanivm 251. 266
Pembrochii 259
Romanvm 266
Veron. 93. 96. 243. 250. 252. 264
Wilenbroechianvm 52
Mvsgravivs 4
Myrleanvs 264

N

Nepos (Cornelius) 84
Nicasivs 90
Nicolai (Joh.) 222. 225. 268
Niewentytivs 230
Nonnvs 265
Norisivs 87
Nossis 283

O

Olearivs 54
Oliverivs (Hannibal.) 40. 263

Opi-

Opitivs 90
Oppianvs 283
Ovdendorpivs 252
Ovdinettvs 89
Origenes 136
Ostermannvs 265
Ottingervs 230
Ottivs (I. H.) 65

P

Palaephatvs 54
Palmerivs 218
Pancirolvs 70
Panvinivs 87. 105. 116
Parvta 261
Paschalivs 182
Passerivs (Joh Bap.) 24. 50 248. 253. 266
Patinvs 107
Pavlinvs 142
Pavlivs (Sebaſtian.) 74
Pavllvs (Juriſconſultus) 25. 60. 67. 70. 75. 251
Pavllo (a Sancto) 221
Pavsanias 4. 5. 21. 39. 40. 44. 45. 46. 53. 55. 59. 79. 86. 123. 128. 136. 156. 157. 158. 167. 181. 209. 284
Pearsonivs. 230
Perottvs 85
Persivs 168
Pescennivs (Niger) 75
Petavivs 116
Petronivs 181
Pfeifervs 45
Pharetratvs 12
Philander 184. 186.
Philarchvs 250
Philippi (Joh. Andreas) 281
Philo (Judaeus) 12. 153
Philostratvs 25. 68. 113. 253
Philoxenvs 224
Phlegon 220
Pighivs 105
Pindarvs 111. 135. 224. 283
Platner (Frideric.) 249
Plato 14. 22. 30. 142
Plinivs 4. 39. 40. 44. 60. 67. 79. 153. 161. 173. 184. 216
Ploetnervs 35
Plvtarchvs 15. 16. 21. 46. 52. 63. 82. 102. 103. 109. 121. 128. 129. 135. 161. 162. 181. 193. 258. 264. 284
Pocokivs 29. 73. 260
Poggivs 12
Pollvx 63. 84. 107. 137
Polybivs 61. 82. 102. 103. 105. 114. 116
Porphyrivs 156. 182
Possidonivs 198
Povlsonivs 241
Prideavxivs 48
Proclvs 156
Prvdentivs 40. 249
Ptolemaevs 79. 124
Pvteanvs 265

Q

Qvintilianvs 153
Qvintvs (Calaber) 14. 280
Qvirinvs (Card.) 78. 89

R

Rabenervs 241
Radervs 106
Raivs 162
Raisantivs 34
Randelivs 142
Reichevs 34. 55
Reimarvs 80. 105
Reineccivs (Reinerus) 18
Reinesivs 227
Reinoldivs 50
Reischivs 165
Reiskivs 284
Relandvs (Hadrian.) 258
Rittershvsivs 39
Roqvivs 13
Rvbevs (Octav.) 142
Rvelivs 162
Rvhevs 103
Rvpertvs (Carol. Adam) 84

S

Sagittarivs 280
Salenivs 280
Salmasivs 134
Salvstivs Philosoph. 153
Sangro (de Raymund.) 182
Santinellivs 13
Saxivs (Chriſtophor.) 68
Scaliger 9. 134. 228
Schefferus 28. 86
Schier (Joh.) 281
Schelstrativs 75
Schiltervs 136
Schindlervs 266
Schlaegervs 90. 127. 276. 283
Schmidtivs 266
Schoeflinvs 180. 184
Scholiastes Thvcyd. 138
Scholiastes Evripid. 136. 143
Schrebervs 68
Schwarzivs 4. 265
Scvltvre, e Pittvre di Roma antica 228
Segvinvs 248
Senertvs 181
Sigonivs 83. 84. 116
Simonivs 12. 137
Simonides 198
Skerakivs 230
Smethivs 180
Sophocles 111
Sovcietvs 259
Spanhemivs (Ezechiel.) 111. 5. 73. 82. 113
Spartianvs 71. 75. 80. 83. 87. 166
Spencervs 136
Sperlingivs 45
Sponivs 32. 74. 75. 112
Stativs 280. 281
Stephanvs (Byzantin.) 79. 124. 220. 262

Ste-

Stephanvs (Henr.) 41. 197
Stobaevs 168
Strabo 4. 25. 76. 124. 136. 159. 160. 172. 173. 184. 200. 215. 216. 220 250 259
Straticò 191
Stvssivs (Joh. Henr.) 65
Svaresivs (Joſeph) 256
Svetonivs 25. 44. 47. 58. 137. 156. 160. 166. 184
Svidas 25. 137. 156. 160
Swintonvs 258
Sylax (Cariand.) 124. 215

T

Tabvlae Heracleenses 82
Tacitvs 21. 25. 67. 220
Taylor 144
Tertvllianvs 231
Theocritvs 46. 223
Themistivs 53
Theophanes 142
Theophrastvs 198. 202
Thvcydides 184. 200. 215 216
Tillemontivs 88
Tiraqvellivs 12
Trebellivs Pollio 43 47
Tomasinvs (J. Phil.) 41. 136
Tovrneminivs 90
Tozzi (Lucas) 173
Trillervs 39
Tristanvs 156. 248
Tvrre (A Philipp.) 87
Tvrnebvs 103
Tvrnefortivs 162
Tvrtvretvs 12
Tzetzes 200

V

Vandalevs 85. 113
Vaillantivs 105. 112. 126 263
Valerivs Max. 9
Valesivs 84
Varenivs 230
Varro 115
Vbaldvs 12
Velleivs 208
Venvleivs (Saturninus) 67
Verpoorten 137
Vesselivs 230
Victor Sex. Avr. 80
Vinnivs 70
Virgilivs 4
Vitry (De) 256
Vitrvvivs 43. 142. 186
Vlpianvs 47. 67
Vngervs 136
Vives (Franc.) 181
Vossivs 10. 124
Vrennivs (Chriſtoph.) 97
Vrsatvs (Joh. Bapt.) 182
Vrsinvs (Fulvius) 104. 105
Vvlpivs 256

W

Wacthervs 108
Walchivs (Imman.) 165
Welervs 32

Weremfelsivs 230
Wesselingivs 46
Wilde 221
Windetvs 230. 241
Winkelmannvs 248
Wolfivs 198

X

Xenophon 25. 124. 135
Xiphilinvs 36. 47. 76.80

Z

Zacharias (Mytilenaeus) 75
Zacharias (Ant. Franc.) 149
Zanettvs (Hieronym.) 50
Zenvs (Apoſtolus) 78
Zigenhagen 134
Zobelivs 228
Zornivs 4
Zvingervs 199

INDEX II.

VERBORVM, ET RERVM MEMORABILIVM,

QVAE IN SECVNDO VOLVMINE CONTINENTVR.

A

ABeatarum marmor cur Corcyrae poſitum. 85. 86
Abaei, & Abeatae perperam confuſi. 79
Academiae Pariſienſis judicium quanti faciendum. 257
Acerra, ſeu capſa thuraria. 249
Achilles apud Lycomedem Scyri Regem inter puellas educatus. 281
  ut ſexum ſimulaverit. *ibid.*
Achillis, & Deidamiae nuptiae an in toreumate Muſei Nanii exhibeantur. 280. *& ſeq.*
Acciajoli Donati inſignis hallucinatio. 104. 105
Acinax in nummis quid portendat. 108
  enſis, quo Cantabri utebantur. *ibid.*
Achaja duplex κυρία, & 'ακυρία. 82
Aeris tractandi peritia artem ſecandorum lapidum praeceſſit. 46
Aeger arthritide correptus a Minerva ſanatus. 167
Aegri a Minerva Ὑγιία ſanati. 163. *& ſeq.*
Aegyptii ut ſtatuas fabricarent. 49
Ἀιιωβάρβȣ reſcribendum pro Λεβωβάρβȣ in Chronico Alexandrino. 117
Aeſchyli epitaphium. 193
Aeſculapii fana celeberrima. 160
  fanum Epidauri religione ſacerrimum. 4
Aetoli praedones a Tito Quinctio devicti. 102
Ἀγάλματα, ἀνδριάντες, εἴδωλα, εἴκηλα, ξόανα an revera differant. 35
  ὀστράκινα, quae Athenis viſebantur. 39
Agathiae tetraſtichon. 38
Ἀγῶνες Ἀσκλήπιοι. 5
  διὰ πενταετηρίδος peracti. *ibid.*
Agrippa (Vipſanius) 19
Ἀιακτὸς pro Ἀιακτῃ recte ſcriptum. 219
Αχαίων δόγμα quid. 82
Ἀλύπη duplex acceptio. 242. 243
Ἀλυπία mortuis attributa. 241
  in Elyſiis conceſſa. 242
Alyattes hoſpitium cum Mileſiis iniit. 139
Alcyon quo tempore floruerit. 58
Alcyonis Medici protome. 57. 58
Ἀλκίδȣ, an vero Ἀλκειδȣ legendum in Pſephiſmate Epidauriorum. 18
Amphyctionis ſtatua. 40
Ἄνακτες. 72
Anima ſub *Papilionis* ſpecie ab Ethnicis adumbrata. 249
Animalia lapidea Minervae oblata. 168
  varia in ſepulcris efficta. 283 284

 Ani-

Animalia ibidem inſculpta quid portenderent. 283. 284
Annii Veri protome ſingularis. 47 69
Anſer Proſerpinae ſacer. 249
Antigonus Joh. Hyrcani fil. ut Βασιλέως nomen ſibi vindicarit. 258. 259
Antiochum Cyzicenum devicit. 258
Antiochiae ſepulcra in foro. 25
Ἄνθος φύσεως formula Erotica. 5
Ἀποφθιμένος propria hujus vocis acceptio. 193. 194
Apex Pontificalis in nummis T. Quinctii cur. 109
Apharei Idae patris ſepulcrum a στηλοειδέων excludendum. 223
huic ſtatua, non columna ſuperpoſita. *ibid.*
quae ſtatua fuit ex ξεστῷ πέτρῳ. 224
Apollinis ſignum pulcherrimum Muſei Nanii. 151
Apollodorus Laprium ſtatuam teſtamento ſibi ponere jubet. 61
Apollonii duo Heraclienſes ex qua Heraclea oriundi. 263
Apuleii narratio commentitia. 37
Arcula delata a puella in anaglyptis ſepulcralibus quid demonſtret. 249
an *acerra* ſit ad odores fundendos. 250
videtur κόσμον γυναικεῖον continuiſſe. *ibid.*
Archidami Ageſilai fil. Clypeus. 257
Argillacea ſigna citius in Graecia, quam in Latio obſoleverunt. 40
Argillaceae icunculae etiam *cruda opera*. *ibid.*
Argivorum Reſpub. popularis. 17
Ἀργολίθη (ſtatua) 44
Ariſtolaidas Corcyreorum Prytanis. 89
nomine ipſius ſignata moneta urbis illius. 90
Ariſtotelis liber περὶ κόσμου an genuinus. 198
Artificum nomina monumentis addita. 87
ΑΣΚΛΗΠΙΑ ΣΩΤΗΡΕΙΑ. 5
Athenarum ſupra caeteras Graecas urbes praeſtantia. 153
Atenienſium Coloniae Olypieum ſtatua Hadriani ornarunt. 86
Athenis munera difficiliora Συμμορίαις commiſſa. 15
Atyadarum ſtirps. 18

B

Bacchus in nummis Gytheatarum. 125
Baſſi Alcidis F. merita erga Epidaurum. 17
Baſſus Alcidis Fil. vir in Epidauriis illuſtris, & nobilis. 11
in patria quomodo Conſiliarium egerit. 75
an forte de Herculis progenie. 17
fuit Regum Conſiliarius. 70
Trajani, Hadrianive Conſiliarius. 72
ΒΙΑΔΙΝΑ, ſeu ΒΙΑΔΙΝΟΣ quae urbs. 133
Boeotarchi apud Thebanos. 16
Boſpori Cimmerii uſitata orthographia. 259
Bracteatae (ſtatuae) 46
Bryaxes ſtatuam ex variis metallis Seſoſtridis juſſu fabricavit. *ibid.*

C

Caeci, qui divinitus videndi facultatem eſſe indepti fingebantur. 166
Caecus a Minerva ſanatus. *ibid.*
Calliae oratio ad Lacedaemonios. 135

Cal-

Calliopae lamentatio. 194
Calphurniae ſtatua *argolitha*. 44
Campus Martius. Conſulum, & Impp. cineres illic conditi. 25
Caphiſodori ſigillum. 52
Capra, & Leo inter Peloponneſi ſymbola. 4
Cariſii Publii nummi. 108
Carmen a Chalcidenſibus in honorem T. Quinctii decantatum. 129
Caſſiodori Chronicon emendatur. 118
Cauponaria ars Civibus a Platone interdicta. 142
Cecropia Arx a Pericle fundata. 160
Cecropidae *δεισιδαιμονέστατοι*. 153
Cephalico morbo laborans a Minerva ſanatus. 163
ab Aeſculapio. 165
Capilli puellae Tulliae a Minerva reſtituti. 164
Ceramicus ab Athenienſibus pro ſepultura deſignatus. 25
Charontis cymba *τωνῖτος*. 255
Chiiunus hoſpitum Deus Aegyptiorum. 136
Cidaris in nummis. 108
Civitas quibus conceſſa. 140
Civitates in nummis *ἱεραὶ* dictae. 21
Civitatis privilegium a Graecis affatim conceſſum. 140
Claudiae Glycerae ſtatua. 27
monumentum. 24
Claudius Imp. ſtatuarum luxum compreſſit. 61
Clypeus Archidami. 257
Macedonicus in Denario T. Quinctii. 107
Coena exequialis. 267
Cognomina Quinctiis ante T. Q. *Flamininum* tributa. 106
Coloſſales (Statuae). 55
Columnae ſepulcris a Judaeis, Graeciſque impoſitae. 222
a Troicis temporibus mos receptus. 223
Conſiliarii munere Equites, ipſique Impp. perfuncti. 75. 76
quaenam eſſent partes. 70. 71
nomen additum Civitatum decretis. 71
Conſiliarios ſibi adſciverunt Imperatores legum peritos. *ibid.*
Conſiliarius nemo in ſua Provincia. 75
Conſulatus T. Quinctii in quem annum revera inciderit. 116
Conſules qua aetate creati. *ibid.*
Corcyra *φιλοξενωτάτη* dicta. 208
Corcyrae nulla Hadriani monumenta fuiſſe tradidit Andr. Marmora. 89
Monumenta inibi eruderata poſt conſcriptam a Marmora hiſtoriam. *ibid.*
Corcyraei origine Corinthii. 184
Corcyrenſes auxilium ab Achaeis petunt adverſus Illyrios. 86
Corinthii in foro ſepeliebant. 25
Cous ab Imp. Claudio *Sacra* declaratur. 21
Coſmi apud Cretenſes. 16
Cretenſes hoſpitia peregrinorum commodo primi exſtruxere. 142
Cunei figulares Corcyrenſes. 179. 183
eorum uſus. 187
Curationes morborum, Diis falſo tributae. 174
Cynoſcephalae. 103

D

Damon ſcriba Corporis Achaici. 85
Daedalus ut ſtatuas perfecerit. 54
Deidamia Lycomedis filia ab Achille clam vitiata. 280
Delphi Conſiliarii. 71

Deli

Deli decretum, quo publicum hoſpitium Clinodemo Siphnio decernitur. 140
Delus inſula ſacra Dicaearcho dicta. 20
eadem νησάων ἁγιωτάτη a Callimacho nuncupata. *ibid.*
Demetrii Poliorcetae aetate quae mira haberentur Athenis. 41
Demetrius Philopator σωτὴρ a Babyloniis appellatus. 128
Dexteras jungere ritus mortualis. 244
Dialectus Dorica Peloponnenſium communis. 111
Διατὸς vox ἄσημος. 219
Dicaearchi locus depravatus reſtitutus. 41
male ab Hudſono redditus. *ib.*
Dirae adverſus ſtatuarum mutilatores. 68
Diverſoria publica. 141
Donaria quo quiſque morbo eſſet liberatus, aliquando repraeſentabant. 171
Donaria lateritia ex Muſeo Nanio. 168. & *ſeq.*
alia πλίνθινα. 41
Dorica Dialectus Peloponnenſibus uſitata. 111
Δῶρα πεϛγαμαῖα. 280
Δῶρος ſervi nomen. 222
Duces ad Chaeroneam interfecti. 198
in illorum funere Oratio Demoſthenis an genuina. *ibi.*

E

E pro H in antiquis monumentis. 50
Ἐγγαϛριμύθων, & ἐκϛατικῶν fraudes. 174
Edictum Claudii Imp. de ſtatuis. 61
Εἰκὼν quo ſenſu accipi debeat. 37
Elogia illuſtrium virorum cur verſibus tradita. 9
Ellychnia ex lapide Asbeſtino. 181
ex lino Carpaſio. *ibid.*
Embes vaticinator. 56
Ennii Poetae ſignum. 61
Epidaurus ζαθέη dicta in pſephiſmate. 20
eadem ἱερὰ a Plutarcho nuncupata. 21
argumenta, ob quae ſic appellata. *ibid.*
Ἐπιδαύρια certamina. 5
Agoniſtica, Muſica, Poetica. *ibid.*
Epidauri Senatus decreta. *ibid.*
praeſtantia. 3. 4.
Epigramma Alexandri Corcyrenſis. 190
Epigrammata vetera a quibus collecta. 10
Epigraphe tabulae votivae ſubſcripta tentatur. 171
Epiri clauſtra. 102
Epitaphia metrica quot verſibus plerumque conſtarent. 10
Ἐπιτυμβάδιες mulieres accitae ad animas evocandas. 249
Ephori apud Lacones. 16
Epſilon forma lunata in vetuſtiſſimis monumentis. 256. *ſeq.*
longe ante aevum Auguſtaeum. *ibid.*
Equi Epidaurii. 4
Ethnica formula in lapide Chriſtiano. 228
Ἡρῷον, Ἡρώϊον, Ἡρωΐων quid primaevis temporibus ſignificaret, quid deinceps. 63
Eucratidae Rhodio locus ſepulturae publice datus. 26
Εὐγενὴς, ἔνδοξος, λαμπρότατος quid differant. 14
Eudamus Gytheatarum Ephorus. 125
Εὐεργεσίαι quanti habita. 31
Ἐυερ-

'Ευεργέται in antiquis marmoribus commendati. 32
Ευπατρίδαι. 15
Eupatoriſta. 260

F

Feminis monumenta publice decreta 'αρετῆς χάριν. 24
Fictilia Opera in ſepulcris Corinthiorum reperta. 184
Fictiles Deorum imagines. 184
Flaminius pro *Flamininus* in pluribus Codicibus mendoſe ſcriptum. 105
Flaminius ad Thraſimenum interemptus non ex Quinctia gente oriundus. 105
Flaminini agnomen unde ductum. 106
Flammulas in ſepulcris, hypogaeis, coemeteriis quid exciverit. 182
Foederatae Civitates quid ſibi mutuo praeſtarent. 86
Formula τὸ 'ανάλωμα ἐφοδιασάντων explicatur. 148
Formulae, δήμου, πόλεως, βουλῆς, γερουσίας *decreto* quid differant. 22. *& ſequ.*
Fourmontius a ψευδεργίᾳ vindicatus. 257

G

Gelo in Conventu Siculo Σωτὴρ proclamatus. 128
Gemma magicis Emblematis, & exoticis characteribus perperam explicata. 5
Gentii Illyriorum Regis facinora. 258
Γερουσία quinam Magiſtratus. 29
Graecarum Provinciarum Corpora. 82
Γραμματεῖς quondam in minoribus Officiales. 84
in Magiſtratus 'επωνύμους adſciti. *ibi.*
Gratiarum ſimulacra. 45
Gytheatae dialecto Dorienſi utebantur. 111
Gytheatarum nomen Dorice, & Attice ſcriptum in Vrbis illius nummis. 126
pſephiſmata. 99
Gythii primordia quam ſplendida. 123
Gythium ab Apolline, & Hercule fundatum. 123
varie ſcriptum a Geographis. 124
ſitus, & conditio. 123. 124.
Gythium Navale Lacedaemoniorum. *99*

H

Hadriani beneficia in Abaeos collata. *79*
Hadriani nummi a Goetzio male intellecti. 90
Hadrianus cur dictus Βουλαῖος in lapide Corcyrenſi. 78. 80. *& ſequ.*
Hadrianus conſiliis adſidebat, juſque reddebat. 76
dictus *Reſtitutor Achajae*. 83
quibus ſtatuam in foro poſuerit. 37
Hecate Tergemina. 182
ipſius ſigillum. 188
Hectoris, & Andromachae congreſſus num in anaglypho Graeco repraeſentatus. 278. 279
Heii Mamertini Sacrarium. 286
Heracleae variae. 263
τὸ 'εθνικὸν ut diverſe efferatur. 263
Heraclius Syracuſanus de ſtatua ſupremis tabulis cavet. 61
Heraclidarum ſtirps. 18
cum Heraclidis cognationem

multi

multi Argivorum jaſtabant. 18
Hermae ab Athenienſibus inventae. 55
quando. *ibi*
in Regum gratiam excogitatae. 56
Hermarum Porticus. 55
Hermis pyramides rectae ſuppoſitae. 58. 59
Honeſtum inter, & *Honorificum* diſcrimen. 84
Hoſpitalitatis ſancitae decretum tabulis aeneis deſcriptum. 143
dabatur ei, qui Hoſpitalitatem eſſet nactus. *ibi*
exempla varia. *ibid.*
Hoſpitalis Domus Curator a Civitate, vel Rege renunciatus. 137. 138
Hoſpitia a Diverſoriis, & Tabernis ut differrent. 141
publica in Graecis Civitatibus. 137
Hoſpitii jus an cum jure Civitatis componeretur. 139
quid efficeret. *ibid.*
quam ſanctum haberetur. *ibid.*
Hoſpitium facere quid eſſet. 142
Hoſtiae ferales. 182

I

Ignis viſus in Davidis, & Salomonis, & Bonifacii VIII. conditoriis. 182
Imagines decretae maximus honor. 35
lateritiae, quae Babylone in mirabilibus numerabantur. 39
Imago *picta* Diogeneto ab Athenienſi Senatu, & Heraclamoni a Pergamenſibus decreta. 37. 38
Immortalitas natura ipſa oſtenſa. 182
Impenſam ſtatuae, aut monumenti remittere quid. 148
Imperatores varie efficti in monumentis Graecis. 81
Imperatorum, Regumque ſtatuae tutiſſimum praebebant aſylum. 67
Inaures elegantiſſimae ex Muſeo Nanio. 251
Inſcriptio Irenes perplexa. 227
Aurelii Balbi apocrypha. 228
Inſcriptio antiquiſſimis literis exarata Hypatae inventa. 274
Athenas miſſa, ut explanaretur. *ibi*
Inſcriptiones variae, quae explicantur, vel refinguntur. 8. 24. 26. 33. 52. 56. 57. 63. 64. 71. 73. 75. 77. 89. 94. 101. 112. 117. 122. 132. 138. 146. 158. 164. 171. 183. 190. 207. 215. 218. 220. 227. 239. 257
Inſcriptiones Graecae a Pocokio collectae quam mendoſae. 29
honorariae baſibus ſtatuarum inſculptae. 11
Pharis, Amyclis, & Thyriae inventae. 256. *& ſeq.*
plinthis ſignorum Q. Albidii, & Albidiae inſculptae extricantur. 64
ſepulcrales cur cum emblematis aliquando minime cohaereant. 246
Inſcriptionum τιμητικῶν differentiae. 22
Jota in ει a Dorienſibus reſolvebatur. 134
eadem fuit Peloponnenſium orthographia. *ibi*
Iſis medicinam docuit Aegyptos. 159
Ἰσοπολιτία, & συμπολιτία quibus rebus conſtaret. 141

Juliae

Juliae Aug. ſigillum. 19
Jupiter 'αλυπότατος. 242
ξένιος. 136

K

Κακογραφία in titulis ſepulcralibus frequens. 247
Κάμιλλος cumerum cum Mundo muliebri deferens. 282
ΚΟΙΓΚΤΙΟΣ non ΚΟΙΓΤΙΟΣ abjecta littera K ſcribendum. 103
Κοινοβουλία Achaeorum quibus in Vrbibus invicta. 83
Κυθεῖσαι paſſivam, non activam vim habet. 194. 195. 196

L

λξ'. non αξ'. legendum in titulo Publii Vibii. 219
Lacedaemonii quo ſenſu "αξενοι dicti. 134
Lacrymas in phialas colligere veteres minime conſueverunt. 180
Lacrymas ponere. *ibid.*
Laterculus Conſulatuum, Flaminiorum. 119
Lecti tricliniares ut inſternerentur. 264
Leges duodecim Tabularum quid de funebri luxu minuendo caverint. 249
variae de ſtatuis. 67
veteres diverſae. 60. 67. 68. 70. 75. 112. 113. 116. 118. 149. 181. 249. 251.
Lemborum claſſis adverſus Corcyrenſes pugnat. 86
Leontium nomen mulieris 'υποκοριστικόν. 217
Epicuri pellex. 216
ſcripta ipſius. *ibid.*
Λευκάδα, & Λευκάδιαν inter differentia. 215
Lex Theodoſii, & Albini de ſtatuarum impenſa moderanda. 149
Litterae aliis majoribus concluſae. 64
Litterarum nexus. 221. 222
Liviae nummus. 19
Locatores, conductoreſque ſtatuarum. 148
Longaevitas. 219
Lucernae, "ασβεστοι ridiculum commentum. 181
Lucernae in ſepulcris poſitae. *ibid.*
inextinguibiles quo ſenſu. *ib.*
in Fano Jovis Ammonis. *ibid.*
in aede Veneris Agyrii. *ibid.*
Lucius Quinctius Tit. Frater Claſſis Rom. Praefectus. 102
Quinctius Tibunus plebis. 104
Ludi Iſthmii Corinthi populo dati poſt T. Quinctii victorias. 129
Lutum *Saturnalicium* quid. 41
Lyſiae locus obſcurus tentatur. 144

M

Macedoniae provinciae duae. 221
Magnetes tumulos in foro exſtrui mandarunt. 25
Manes libationibus ad ſepulcrum inlatis ali putabantur. 267 268
Μαντεῖον 'εγκοιμωμένων. 159
Manus elatae in ſepulcris ſculptae quid portendant. 245
de eo ritu Diatribe. *ibid.*
Marcus Latinius Panduſa Gytheatum ξένος. 132. & *ſeq.*
an & πρόξενος. *ibid.*
M. Latinius Panduſa Biadino, ſed non Gythio adſcriptus. 141
Marco Marcello locus publicus in ſepulturam ab Athenienſibus denegatus. 26
Maris imperium non Tito, ſed Lucio Flaminino a Senatu datum. 117

Martis, & Rheae Silviae connubium an expreſſum in Graeco anaglypho. 276
Medicina a quibus inventa. 155. 156
Memmia Cleopatra permiſſu Senatus Nicopoli monumentum filiae poſuit. 24
Maeviae teſtamentum. 181
Miletus Apollinis, & Argeae filius a lupa innutritus. 277
cum Romulo perperam confuſus. *ibid.*
Miltiadis ſtatua. 48
Minerva medicinae inventrix. 156
Ὑγιία dicta. *ibid.*
medicinam in ſomno Pericli monſtravit. 161
Ὀξυδερκής. 167
caliginem ab oculis Diomedis pepulit. *ibid.*
Ὀφθαλμῖτις. *ibid.*
Lycurgo opitulatur. *ibid.*
Ὑγιία, Σώτειρα, παιώνια quid differant. 157
Σώτειρα ab Vlyſſe culta. *ibid.*
Minervae cum Aeſculapio affinitas. 156
Hygiae effigies. *ibid.*
Medicae templum Romae. 159
cur Pantheum dictum. *ibid.*
παιωνίας ſimulacrum. 157
Poliadis, & Memoris χαριστήρια. 158
Scirados ſignum ἀπὸ σκίρου. 39
Servatrici donaria ob Nicanoris ſalutem. 168
Ὑγιίας nomine a priſcis Athenienſibus culta. 156
Mithridatis Eupatoris lebes. 260
fuit ludorum praemium. *ibid.*
Mneſicles Architectus Arcis Athenarum. 160
Periclis verna. *ibid.*
ejus caſus. *ibid.*
ut lapſu ſanatus. *ibid.*
Monumenta ἀρετῆ, & εὐνοίας ἕνεκεν poſita. 147
publico ſumptu excitata. 148
Morbi tabellis votivis deſcripti. 172
Mortui χρηστοὶ, & ἀγαθοὶ in titulis ſepulcralibus appellati. 201 202
Μουσεῖον ab Epicteta exſtructum. 65
Mundus muliebris teſtamento legabatur. 251
Μύρα pro μυρία perperam repoſitum in veteri inſcriptione. 192
Muſeum Brandenburgicum. 44
Martinianum Panormi. 41
Nanium. 40. 47. 50. 62.
Venet. Senat. 68

N

Nabis Lacedaemoniorum Tyrannus. 102
Nanii (Bernardi) Senatoris Ampliſſimi laus. 100
Nanius Bernardus in Triumviros Rei Litterariae a Senatu adlectus. 286
Naufragi ut in ſepulcris effícti. 254
Νεκρικὸν συμπόσιον. 266
Nemaei ludi dati poſt T. Quinctii victoriam. 114
Neoptolemus Achillis, & Deidamiae fil. 280
Nicolai (Johannis) calumnia de Silicerniis a PP. Paulo IV. reſtitutis. 268
Nicopolitarum Pſephiſma. 23
Nobiles etiam in Repub. populari gubernationi praefecti. 16
apud Epidaurios plurimi habiti. 17
qui revera dicendi. 12
Nobilibus primae partes Athenis conceſſae. 16
Nobilitas ſanguinis quantopere honorata. 11

Nobilitas originis ex Divorum ſanguine repetita. 18
ex victoria Athletica. 14
Nobilitatis genera varia. *ibid.*
Nobilitatem quae efficerent. *ibid.*
Nummi ΗΡΑΚΛΗΤΩΝ, ΗΡΑΚΛΕΩΤΑΝ, ΗΡΑΚΛΕΙΩΝ. 263
Nummi Bithyniae. 81
Cretenſium. *ibid.*
Cydoniorum. 277
Gytheatarum. 126
Macedonum, quo emblemate ſignati. 107
Theſſalonicenſium. 221
Titi Quinctii. 105. 107
Nummus Antigoni Johannis Hyrcani fil. 258
Gentii Illyriorum Regis. *ibid.*
Polemonis Ponti Regis. 259
quare in eo Auguſti caput expreſſum. *ibid.*
Nyſaeorum, & Stratonicenſium Pſephiſmata. 29

O

Operum publicor. everſores lege caſtigati. 68
Optimates a publicis muneribus populi audacia aliquando exturbati. 16
Ornamenta muliebria in ſitella adſervata. 250
Ornatrices. *ibid.*
Oſſa mortuorum coctilibus urceis concluſa. 185
Oves apud Arcadas, Mileſios, & Argivos quales. 284
bonae uxoris, & matrisfamilias ſymbolum. *ibid.*
Ω olim duplici *oo* exprimebatur. 261
Petilini, Lilybetani, & Comageni pro *ω* lineolam litterae *o* ſubſcribebant. *ibid.*

P

Paeaniſtarum Ordo quorum hominum eſſet. 56
Parietaria Galeno eſt Σιδηρῖτις, Dioſcoridi Ἑλξίνη. 161
ejus virtus. 162
Parthi ab Antonio expugnati. 108
Peloponneſii Dorica dialecto uſi. 111
Perdicium idem ac παρθένιον, herba muralis, ſeu Parietaria. 161
Peregrini ne in civium cenſum adſcriberentur lege *Licinia*, & *Mucia* vetitum. 140
περίδειπνον cur inſtitutum. 267
Phialae in ſepulcris repertae ad balſama adſervanda. 180
non ad lacrymas colligendas. *ibid.*
lacrymatoriae nullae prorſus fuerunt. *ibid.*
Φιλόξενοι Tindari filii. 135
Phoenix in Ethnicorum monumentis ἀνάστασιν nequaquam indicat. 228
in ſepulcro s. Maximi depicta. *ibid.*
pro ſymbolo *Reſurrectionis* ab antiquis Chriſtianis accipiebatur, & cur. *ibid.*
Philippus (Macedo) a Tito Quinctio devictus. 102
Hannibalem, Poenoſque juvit. *ibid.*
Pindari ſtatua quomodo efficta. 54
Pictura a Mario in templo dedicata. 168
Piſauri conditores. 263
Piſcis in Chriſtianis titulis quo ſpectet. 231
Plaſtae veteres laudatiſſimi. 39
Plebs a petendis honoribus lege Solonis prohibita. 16
πνεῦμα pro ψυχῇ ab antiquis Scriptori-

ptoribus accipiebatur. 197 *& ſeq.*
Πνεῦμα βίου quid. 197
οὐσία ἔμψυχος. 198
Poculum aureum a Rege Artaxerxe Pyrilampo pro teſſera datum. 144
Podonipſia ante coenam. 265
Polemonis regnum cui anno conſignandum. 259
Pollae nomen per ο, & ω ſcriptum. 252
Polycratis ſigillum. 50
Popularis opinio de phialis lacrymalibus rejicitur. 180
Praeficae. *ibid.*
Praeneſtinum Lithoſtroton nequaquam a L. Sulla in templo Fortunae exſtructum. 256
Praetor, & *Praeitor* qui antiquitus fuerit. 115
Prodigia Ethnicorum commentitia. 174
ad fortuita eventa, ad naturales effectus, ad Daemonis praeſtigias revocanda. *ibid.*
Προβουλεύματα Senatus quid eſſent, quidve efficerent. 29
Proſerpina an expreſſa in duobus Graecis ſepulcris. 248
illius inſignia quae. *ibid.*
Protome a Paeaniſtis dedicata. 56
προξενία illuſtris Praefectura. 138
πρόξενοι qui eſſent. 135. 137
προξένου, & ξένου differentia. *ibid.*
Pſephiſma metricum. 6. 8
Pſephiſmatum βουλῆς, & καὶ δόγμα τῆς βουλῆς differentia. 23
Ptolemaeus Lagi filius *Soter* per ἀντονομασίαν dictus. 128
Pueri οἰνοχόοι, & τραπεζοκόμοι. 265
Pyrrhus Achillis, & Deidamiae fil. 286
Pythagoreorum ſepulcrum. 63
Pyxis in Mundo muliebri. 27

Q

Quinctii in Patriciam familiam inſerti. 104
Quinctia familia duplex. *ibid.*

R

Reges *Magni* dicti quinam. 144
Remedia a Diis monſtrata ſaepe ἀνεπιτήδεια. 174
ſomniantibus monſtrata. 159
coelitus monſtrata tabellis votivis deſcribebantur. 172
Reſurrectionis dogma Ethnicis inexploratum. 229
ineptis commentis a Philoſophis implicatum. *ibid.*
ſpes in titulo ſepulcrali expreſſa. 226. *& ſeq.*
Rhoecus, & Theodorus aes conflare docuerunt. 46
Romulus an effictus in Graeco marmore. 276

S

Sacrificia ὡραῖα, νεμέσια, νεκρικά. 182
Sagittandi ars Diis praeclara. 199
Sarcophagi opere lateritio. 185
Sarpedonis, & Ili Dardanidae tumuli. 223
Scipionum ſepulcrum extra Portam Capenam. 61
Scriba *Communis* Reipub. Achaicae. 85
Scribae apud Athenienſes *Apparitorum* vice functi. 84
ſummam in Graecis urbibus dignitatem adepti. *ibid.*
nihil ſine illorum conſilio actum. *ibid.*
Moneta illorum nomine obſignata. *ibid.*
de illorum officio Scriptorum diſſenſus. *ibid.*

Scri-

Scribarum varia genera. 84. 85
Sempronius, & Nicias Simelidae filii. 147
Sepulcra a Chriſtianis quamobrem κοιμητήρια appellata. 225
dicta etiam μαρτύρια, & quare. *ibid.*
quo loco olim poſita. 225. 226
quare in cryptis, & hypogaeis. 226
aere collato aedificata. 65
Corcyraeorum. 208
hereditaria in propriis fundis. 25
perraro a Senatu decreta. 26
Tulliolae, Ferentillae, Olybii, in quibus flammula perhibetur exiliiſſe. 181
Sepulcro circumfundi. 196
Sepulcrorum veterum forma. 209
qualis a Sicyoniis invecta. *ibid.*
Serapis remedia cubantibus in templo per viſum oſtendebat. 160
Servi ab ornamentis. 283
Σῆμα a quibus ſepulcrum dicatur. 218
Sigillariorum feſtum. 41
imagunculae in eo ultro, citroque miſſitabantur. *ibid.*
Silicernia Chriſtianis vetita. 268
Simelidas Theſei filius: de eo plura. 146. *& ſeq.*
Simulacra ex gypſo. 40
Sigmatis formae variae. 208. 218. 221. 260
nova forma. 27
forma ſemicircularis in vetuſtiſſimis monumentis. 156
longe ante aevum Auguſtaeum. *ibid.*
Signa ex ligno varii generis. 44
Signorum copia penes Graecos ad quam temporum periodum referri debeat. 34
Sigonii arbitrarius συγχρονισμὸς. 116
Specula erant δίσκοι ex metallo, vel chalybe levigato. 28
thecis incluſa. *ibid.*
Solia fictilia quid. 184
Soſthenes cur Macedoniae regnum obtinuerit. 31
Σωτεῖρα Ἀθηνᾶ. 164
Σωτὴρ titulus Diis primum, deinde Regibus tributus. 127
Statua Hadriano dedicata a Mileſiis. 86
Statuae aeneae, & marmoreae viris inluſtribus Athenis poſitae. 48. 49
aureae curules Antigono, & Demetrio Athenis poſitae. 129
aureae in Alcinoi Domo. 46
argillaceae ab Etruſcis minio illitae. 43
Hadriano quo anno ab Abeatis poſita. 87. 88
ἰσομέφητοι. 55
in palaeſtra. 61
an injuſſu Senatus poſitae. *ib.*
everſae. 60
cum inſcriptione digna virtutis merces cur. 36
jam conſecratae, eraſo nomine, alteri dedicatae. 60
in foro praeſertim conlocatae. 61
marmoreae, vel aeneae oculis ex argento, vel pretioſis lapillis inſertis. 47
honorem qui potiſſimum affectarent. 149
in monumento Scipionum. 61
pedeſtres, ſeſſiles, equeſtres, curules. 54
poſitae impenſa illius, qui eas peteret. 149
publicae immoderata cupiditas. 36
Q. Albidii, & Albidiae. 62

Sta-

Statuae quibus de cauſis dejicerentur, tollerenturque. 68
ſarcophagis, cenotaphiis adjectae. 62
ſepulcris additae inviolandae. 67
cultae. *ibid.*
conſecratae. *ibid.*
σφυρήλατοι. 46
περιπέταλοι. *ibid.*
ἐπίχρυσοι. *ibid.*
vivis decretae. 37
Statuarum aurearum, & argentearum luxus compreſſus. 47
genera varia. 35
priſca forma rudis, & aſpera. 49
Statuaria κεραμική. 40
πλαστική. 38
in ea excellere praeclarum. 39
ſtatuariae mater. 43
ξοϊκή. 44
χαλκουργική. 45
κολαπτική. *ibid.*
Statuarii Graeci illuſtres. 54
Stips adſignata pro ſtatuarum tuitione. 61
Στήλη variae ſumitur. 224
Στρατηγὸς, & πολέμαρχος differunt. 113
Στρατηγὸς num ad rem militarem ſolummodo referatur. 111
idem ac Ἄρχων. 112
nomen genericum. *ibid.*
τῆς πόλεως. 112. 113
variam habet ſignificationem. 111
Στρατηγοὶ alii ἐπὶ τῶν ὅπλων, alii vero ἐπὶ τῆς εἰρήνης. *ibid.*
dicti ἀπὸ τοῦ στρατοῦ. *ibid.*
Στρατηγία πολεμική, & πολιτική. 112
nunc *Civica*, nunc *Militaris* Praefectura. *ibid.*
principio fuit Militare munus. 113
Strophades ἀλίαι, πλάγιαι, πλωταὶ dictae. 200
Suffetes apud Carthaginenſes. 16
Σύστημα τῶν Ἀχαιῶν. 83
Συνέδρια Graecarum Civitatum ad formam Concilii Amphyctionum. *ibid.*

T

Tabellae votivae ſcriptae in Aeſculapii aede repertae. 173
Tabulae aeneae, quibus Hoſpitalitatis decretum inſcriptum. 143
diverſa a Teſſeris. *ibid.*
Tauroſcythae quam inhumani in peregrinos. 136
Temenidarum ſtirps. 18
Templa Deorum varia apud Epidaurum. 4
Teſſera Eburnea Muſei Nanii. 144
Teſſerae hoſpitalitatis variae. 143
Teuta Agronis Illyriorum Regis uxor. 85
Themiſtoclis ſtatua. 48
Theomedis Ariſtolaidae fil. monumentum. 89. 91
Θεὸν, & Θεῖον differentia. 74
Θεοὶ, & Θειότατοι dicti Syriae, & Aegypti Reges, tum Impp. Romani in Graecis monumentis. 73. 74
Theſſalonica primum Θέρμη dicta. 220
novi nominis quis auctor. *ibid.*
urbs λαμπροτάτη. *ibid.*
nummi ipſius. 221
in prima Macedoniae provincia deſcripta. *ibid.*
ipſius inſcriptiones. 220. *ſeq.*
Theſeus ἀντιπαθίας a plebe ſejunxit. 15
id ipſum confirmavit Solon. *ibid.*
Titi Quinctii triumphus. 122

Titi Quinctii imagines in Gemmis arbitrariae. 110
Quinctii Flaminini monumentum. 101
geſta ipſius. 102
Tito Quinctio prorogata per triennium a Senatu Conſularis poteſtas. 120. 121
Statilio monumentum ab Epidauriis poſitum. 94
Titus Quinctius Cincinnatus Jovis ſignum Praeneſte tranſtulit. 103
Quinctius Flamininus ſignum Jovis Imperatoris e Macedonia tranſtulit. *ibid.*
Quinctius *Flaminis* dignitatem Conſulatu exacto adeptus. 107
poſt reditum ex Peloponneſo. *ibid.*
Statilius Ludis Aſclepiis Epidauri praefuit. 96
Quinctius qua ratione Conſul appellatus poſt annum. 556
V. C. 120. 121
Quinctius qua ratione a Gytheatis Σρατηγὸς dictus. 114
Agonotheta ab Argivorum Conventu creatus. *ibid.*
Nabin devicit, pepulit. *ibid.*
Quinctius σωτὴρ τῆς Ἑλλάδος publice proclamatus. 129
Statilius ex Caſtore, & Polluce oriundus. 18
Τόξος pro τοξοτικῆ ἐμπειρία. 199
Τράπεζα vox dubiae ſignificationis. 264
perperam a nonnullis intellecta. *ibid.*
Triclinia in ſepulcris expreſſa cur. 263. 266. 267
Τρόφιμος *Alumnus*, *Verna*, *filius herilis*. 222

V

Valeriae Sammoniae votum. 159
Virtuti ſummus honor jugiter tributus. 92. 97
Votum Minervae Hygiae. 153
Vrbes Graecae ab Hadriano beneficiis affectae. 80
hoſpitium cum privatis faciebant. 142
Sacrae quae. 20
Vrnae argillaceae. 185

X. Ξ

Χαῖρε formula in ſepulcris geminata. 188
aliquando male ominatum verbum. 187
in ſepulcris amica apprecatio. *ibid.*
Xenodochiorum ſtructura. 142
Χρυσὸς nomen proprium. 253
hoc nomine viri illuſtres appellati. *ibid.*
Ξ nova figura. 217
Ξενηλασία Spartanorum. 135
Ξενόστασις Gytheatarum. 99

Y

Ὑποπόδιον Graecis frequens. 243

Z

Ζελείη ἱερή. 20
Zona recincta puerperii ſymbolum. 283

FINIS.

ERRATA ALIQVOT,

Quae exciderunt, ſic emendato.

Pag.	lin.		
33	7	Epidauri	Epidaurii
35	12	Βρέτεα	Βρέταα
55	2	*ἰσομετρήτοι*	*ἰσομέτρητοι*
55	16	στῆσαι	στῆλαι
61	31	*lib.* KVIII.	XVIII.
65	23	Epitectae	Epictetae
74	4	PESCENIVM	PESCENNIVM
79	4	Phocidenſium	Phocenſium
117	15	ad ambiguitate &c.	ad ambiguitatem
128	36	*not.* 5. *adde* PAVSANIAS	
135	2	peregriinis	peregrinis
167	4	Ὀξυδερκὴν	Ὀξυδερκῆ
198	18	*γονιμος*	*γόνιμος*

SPECIAL
N
5704
P11
1761
V.2

86-B
22721
V.2

THE GETTY CENTER
LIBRARY